



M. 2, 166.

h. h. 2, 382. b

s. M. 2, 385.



1. Irenaei Carpentarii Eruditorum coelibum  
centuria singularis
2. Ejusd. Eruditorum coelibum Semicenturia  
novissima.
3. Ejusd. Supplementum ad Eruditos coelibes.
4. Georg. Heint. Goch. De Theologis pseudo  
Medicis.
5. Jo: Conr: Boeckmann De doctis Nicolais.
6. Lubeca literata anni 1701.
7. Brema literata hodie vivens et florens  
an: 1708.
8. Hamburgum literatum anni 1701.

11

*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*



3  
IRENAEI CARPENTERII  
SUPPLEMENTVM  
AD  
ERVDITOS  
COELIBES

---

ANNECTITVR  
CASPARIS BARLAEI  
DIALOGVS FESTIVVS  
DE  
PHILOSOPHI VXORE  
SIVE  
AN PHILOSOPHO SIT DVCENDA VXOR  
ET  
D. SEMPRONIUS GRACCHVS  
MASSILIENSIS  
DE  
MATRIMONIO MEDICI



---

VITTEMBERGAE  
APVD CHR. THEOPH. LVDOVICVM  
A. MDCCXXVII

IRINAEI CARPENTRII  
SUPPLEMENTVM  
AD  
ERADITOS  
COLLEBES

ANNECTITVM  
CASPARII LAEVAE  
DE  
PHILOSOPHI VXORE  
SIVE  
AN ANTONIO SIE DICENDA THEOR  
ET  
D. SEMPRONIVS CRACIVS  
MASSILIENSIS  
DE  
MATRIMONIO MEDICI



ATLAMBROGAE  
APVD CHR. THEOPH. PALDVICAM  
A. 1615 CC XLII



## LECTOR BENEVOLE

**M**Eis promissis ne non stetit uidear, Supplementum ad eruditos coelibes, in lucem exit, in quo non nulli etiam sequioris sexus coelibes prodeunt in scenam, propterea, quod nec feminae in erudito orbe unquam defuerunt, quae et literis fuerunt eruditae (a), et non  
(o) 2 uul-

(a) Scriptores eiusmodi, qui de hoc argumento egerunt, referunt Valentinus Henricus Voglerus, in Introductione Vniuersali in Notitiam cuiuscunque generis bonorum scriptorum, p. III, sqq., ubi etiam, p. 113, Marci Zuerii Boxhornii Bibliothecae, eruditione ac scriptis illustrium Feminarum, meminit, quam tamen mihi nusquam licuit indagare, et Addit. p. 210, Ioannes Mollerus, in Praefat. ad Morhofii Polyh., p. 8, Burcard. Gothelf. Struuius, Introd. ad Notitiam rei literariae, p. 223, sqq., et in Supplemento, p. 51, sqq., Ioannes Fridericus Reinhardus, Theatri Prudent. Elegant. p. 534, sq., Georgius Henr. Goezius, in Principe Hebraice Docto, p. 25, Caspar Henricus Starckius, de Doctorum Vita Priuata, p. 5, sq., Noua Literaria Maris Baltici et

uulgares in omnibus fere eruditionis spatiis progressus fecerunt, quid, quod etiam honores Academicos impetrarunt (*b*), immo, societatibus eruditis ascriptae fuerunt. Non desunt quidem, qui contemnunt feminas eruditas, ac, sibi displicere ipsas (*c*), haud ob-

scure

Sept. A. 1700, p. 209, sqq., Thomas Crenius, Method. p. 473, sq., Caspar Thurmannus, Bibliothecae Academ. p. 83, sq., M. Michael Lilienthalii, de Historia Literaria certae cuiusdem gentis scribenda, Consultatio, p. 97, M. Christianus Iunckerus, in Centuria Feminarum, eruditione et scriptis illustrium, p. 10, sqq., M. Herm. Christoph. Engelkenius, in Disp., de Sexu sequiori, Fama corusco, p. 29, sq.

(*b*) Vid. Befold. Thef. Pract. T. I, p. 195, Christiani Francisci Paullini *Lust-Stunden*, p. 517, sqq., Herm. Suden, im Gelehrten Critico, P. I, p. 279, sqq., Engelkenius, d. l., p. 23, sq.

(*c*) Apud Euripidem Hippolit. canit.

Σοφὴν τε μισῶ. Μὴ γὰρ ἐν γ' ἐμοῖς δόμοις  
ἔιη Φρονῶσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χεῖν.  
Τὸ γὰρ πανῶργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις  
Ἐν ταῖς σοφάσιν.

Et Iuuenalis ita.

*Non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit,*



scire produnt, multasque causas,  
 cur literis non debeant inuigilare,  
 proferunt, quas inter etiam sunt,  
 quae sequuntur. Primum, eiu-  
 modi mulieres non raro ineptire,  
 immo, in puriore Dei coetu de-  
 disse turbas (*d*), deinde philoso-  
 phiam nullam, praeterquam coli,  
 illis esse concedendam, easque  
 ad acum, opus sericum, lanam,  
 resue confimiles, fore aptiores,

(○) 3 ac

*Dicendi genus, aut curtum, sermone rotato,  
 Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes,  
 Sed quaedam ex libris et non intelligat. Odi  
 Hanc ego, quae repetit uersatque Palaemonis  
 artem,*

*Seruata semper lege et ratione loquendi,  
 Ignotosque mihi tenet antiquaria uersus, etc.*

Ianus Huartus, in Scrutin. Ingen., p. 606,  
 scribit, *Vbi ad literarum studia adhibitae fue-  
 rint, nihil aliud addiscere comprehendereque  
 possunt, quam aliquantulum Latinitatis, idque  
 ideo tantum, quoniam memoriae id opus est.*  
 C. 18, p. 588, *Si, inquit, mulier intra ter-  
 minos naturalis dispositionis suae subsistat,  
 omne literarum ac sapientiae genus ingenio  
 ipsius prorsus repugnat.*

(*d*) D. Io. Henr. Feustkingii Gynaeceum Fanati-

ac, si Musis operentur, rem familiarem, quae tamen ipsis potissimum curae cordique debeat esse, negligere, cum confiter, duobus dominis inferuire neminem posse, tum, tacere illas, oportere, nec docere, postremo easdem plerunque amori esse, immo, lasciuiae, deditas (e), neque adeo magnas ab iis in literis unquam fieri progressiones, aut metam studiorum attingere feliciter, posse, sed ingenium earum et uires infra studia esse, mulierem denique mulierem esse, mulierem permanere. Quas tamen rationes nullius esse ponderis, iam dudum

cum, D. IoAndreae Schmidii, Disp. de Muliere Heterodoxa.

- (e) Muretus, Variarum Lect. IIX, 21, scribit, *Mulieres eruditas plerunque esse libidinosas, uel una Sappho teste, neque mirum esse, quia multas legunt historias, peccare, ut Flaccus ait, docentes.* Quam Mureti sententiam Bisciola, Hor. Succ. T. I, XIII, 23, p. 1012, refutat. Et Moliereus mentem suam his uersibus expressit.

*Ab! les femmes Docteurs ne sont pas de mon goût,  
Je consens, qu' une femme ait de clartez de tout,  
Mais, ie ne luy veux point la passion choquante,  
De se rendre savante, afin d' être sauante.  
Et j' aime, que souvent aux questions qu' on fait  
Elle sçache ignorer les choses, qu' elle sçait.*


dum est a uiris doctis ostensum (f). Visum quoque fuit, Casparis Barlaei Dialogum festiuum, *de Philosophi Vxore* (g), et Sempronii Gracchi Maffiliensis, *de Matrimonio Medici* (h), adicere, cum, nec lectione iniucundos, nec ab re alienos, uiderem, hos scriptores fore. Atque  
 fic

Conf. de Vigneul Maruille, in *Melanges d'Histoire et de Litterature*, uol. II, 29, Cheuraeana, P. I, p. 92, Menagius, in *Historia Mulierum Philosophorum*, p. 66, ubi dicit, *Meretrices Graecas plerasque humanioribus literis et mathematicis disciplinis operam dedisse.*

(f) Conf. Iunius, *Cent. Quaest. Politic.* p. 156, Io. Sauerbrey, in *Disp. gemina, de Feminarum Eruditione*, quarum priorem sub praesidio Iac. Thomafii habuit, Engelkenius, d. I, p. 19, sqq., Schultetus, p. 5, sqq., alii.

(g) Extat in eius Dialogis, quos, maximam partem, ex ingeniosissimi hominis ac poetae uenustissimi, Iacobi Catsii, Belgicis eiusdem argumenti scriptis, deprompsit, et Latine conuertit, suisque accessionibus passim auxit, p. 100, sq.

(h) Verum eius nomen fuit Samuel Godofredus Manitius, cuius tamen de uita nihil exquirere potui, praeterquam, eum Dresenae, ubi pater eius Archiater fuit, Anglia Belgioque peragrato, in optimo aetatis flore, coelibem esse defunctum. Hoc autem scriptum reperire licet in eius Medico huius seculi, siue



fic denuo, B. L., aliquot eruditos habes  
coelibes, utque ex animi sententia ua-  
leas, et, si tibi placet, mihi laborique meo  
favere ne desistas, decenter oro. E Mu-  
seo, xv Calendas Octobres, anno, post  
salutem generi hominum redditam,  
CIO IO CC XVI

Herma, Dresdae, A. 1693, in 8, edita, L. II,  
art. 2, p. 47, sqq. Quaestio, *An et qualis uxor  
ducenda uiro sapienti, qui regi a consiliis est*,  
extat in Th. Bartholini Quaestionibus Nu-  
ptialibus, p. 1, sqq., nuptiis D. Petri Schuma-  
cheri, S. R. M. Dan. et Norueg. a consiliis  
sanctoribus, dicatis, Hafniae, A. 1670, pre-  
lo subiectis. Hermolaus quoque Barbarus  
libellum, de *Re Vxoriam* scripsit, in quo coe-  
libem eruditorum uitam probat. *An uiro  
literato ducenda sit uxor*, satyra in Philandri  
uon der Linden Scherzhafteu Gedichten,  
p. 19, sqq., occurrit. D. Goezius, Miscel-  
lanea Historico Theologica, de *Coniugio Eru-  
ditorum*, Lubecae, A. 1714, in 4, uulgauit.

SVP-

SUPPLEMENTVM  
AD  
ERVDITOS  
COELIBES

---

FRANCISCVS  
BASSOMPETREVS,

quem Galli *Bassompierre* uocant, ex nobili genere, in Lotharingia, A. MD C LXXIX, ortus, ordinis regii, in Gallia, eques et *Marescallus*, et aliis haud unis, nec uulgaribus, togi sagique muneribus est perfunctus. A. MD C XXXI, odio Richelii, purpurati, quod sibi, ex consuetudine cum Richelii inimicis, conflauerat, carceri inclusus, ac, per duodecim annos, in eo permanere est coactus. Eodem autem mortuo, a Ludouico XIII, Galliarum rege, libertati restitutus, † A. MD C XLVI, aet. LXIII, sine uxore quidem, relicto tamen filio Ludouico, qui praesul Semensium euasit. (a)

A

ANNA

(a) Vid. Io. Burc. Menkenii *Schediasma*, de *Commentariis Historicis*, quos Galli Me-

## ANNA DE BINS,

uel *Binsia*, Antuerpiensis, seculo XVI uixit, patrioque sermone, contra Lutheranos, confecit Carmina, quae deinceps Vilelmus Eucharius, cum hac inscriptione, edidit, *Apologia rhythmica Annae Binsiae, uirginis Antuerpiensis, aduersus haereticos, uersu elegiaco reddita*. Alias quoque sui sexus instituit, et, ex amore Musarum, semper coelebs uixit, † A. MD XL. Fridericus Hubertus dotes illius hoc disticho comprehendit,

*Arte pares, Lesbis Sappho et mea Binsia, distant*

*Hoc solo, uitia haec dedocet, illa docet. (a)*

IOAN-  
moires uocant, p. 26, sq. Io. Christoph. Wolffii Disp., de Carcere eruditorum Museo, p. 10, sq., Buddeus, in Lexico.

(a) Vid. Ioanes Paschius, in *Gynaeceo Docto, Christiani Francisci Paullini Hoch und Wohlgelehrtes Teutsches Frauenzimmer*, p. 33, Aubertus Miraeus, in *Elogiis Belgicis, Valer. Andr. Biblioth. Belg.*, Io. Casp. Eberti *Eroefnetes Cabinet des Gelehrten Frauenzimmers*, p. 52, Buddeus, d. l.

IOANNES BOCCATIVS,

Certaldo, Florentiae ditionis oppido, patre rustico, procreatus, primum Parisiis, per sexennium, ad mercaturam animum adiecit, annisque totidem iuri pontificio impensis, studio nulli, quam poetico, maiore diligentia inuigilauit, reliqua tamen studia non plane sibi negligenda duxit. A Venetis iure ciuitatis donatus, uariisque deinceps locis commoratus, † tandem in patria, A. M<sup>o</sup> CCC LXXV, aetatis LXII, filio naturali relicto. Literarum quidem adeo fuit amans, uti nullum apud uiros principes munus uoluerit administrare. Martinus tamen Hankius, (a) qui Boccatium quoque *oratorem, philosophum, et poetam, suo tempore, clarissimum*, uocat, et inter eos numerat, quorum studio barbaries literarum in humaniorem transire habitum coepit, eum epistolarum pontificiarum Magistrum fuisse, scribit (b).

A 2

IOAN-

(a) De Romanarum Rerum Scriptoribus, p. 195.

(b) Vid. ipse Boccatius, de Genealogia Deorum, XVI, 16, Matthaeus Palmerius,

IOANNES IACOBVS  
BOISSARDVS,

Vesfontione, Sequanorum urbe, A.  
CRIO XXIX, natus, antiquitatis studia  
impense dilexit, (a) eamque ob cau-  
fam

*Florentinus, in Chronico, ad A.C. 1375, Raphael Volaterranus, Commentariorum L. XXI, Iacobus Philippus Bergomensis, in Chronicorum Supplemento, ad A. C. 1375, Ioannes Trithemius, de Scriptoribus Ecclesiasticis, c. 646, Leander Albertus, in Italia, Michael Pocciantius, in Catalogo Scriptorum Florentinorum, P. Iouius, in Elogiis Doctorum Virorum, c. 6, p. 22, sq., Ger. Io. Vossius, de Hist. Lat., III, 1, Berneggerus, Idol. Lauret. p. 116, Ioann. Iac. Boissardus, in Vitis LVirorum, doctrina illustrium, P. I, icone ix, P. Freherus, in Theatro, p. 1423, Baylius, in Diction., Hankius, d. l., et P. II, p. 335, sqq., Buddeus, d. l.*

- (a) Quantopere antiquitatis fuerit studiosus, satis superque ostendit factum, quod, in epistola dedicatoria, ad Ioannem, Comitem Palatinum Rheni, ipse descripsit, et ita se habet. *Memini, inquit, magnificentissimum illustrissimumque illum antistitem, Pium Rudolphum, cardinalem Carpensensem, qui, quo tempore Romae eram, in Quiri-*



fam, uariis, in Germania, Academis  
perlustratis, Italiam petiit, ubi diligen-  
ter omnia, quae, per sexennium, no-  
tatu digna ipsi occurrerunt, annotauit.  
A. CIO IO LIX in Burgundiam rediit,  
ab qua XXII annis afuerat, ibique,

A 3

a L.

*nali possidebat hortos amoenissimos, omni-  
busque antiquis marmoribus refertissimos,  
singulare humanitatis argumentum in me  
contulisse. Dum enim eo uenissem, cum ali-  
quot studiosis, ut admirandam palatii stru-  
cturam statuasque, columnas, obeliscos et  
aras antiquas, uiderem, nec possem illa o-  
mnia tam breui temporis spatio, quod mi-  
hi concedebatur, describere (nondum enim  
tanto uiro innotueram) sociis relictis, ab-  
didi me inter uiretorum umbracula, latitans,  
donec omnes horto exiuisent. Clausis tandem  
horti ostiis, reliquum diei, quod superfuit,  
impendi in delineationem priscarum inscri-  
ptionum, ac totam noctem illic exigens sub  
arboribus, cum primum illuxit, ad opus  
coeptum redii, dumque illic haererem, at-  
tentus in descriptione cuiusdam marmoris,  
cardinalis, suorum aulicorum numero et co-  
mitatu stipatus, hortum ingressus est, illi,  
cum ex remotiore loco me fuissent intuiti,  
substiterunt attoniti, nescientes, qua rati-  
one, omnibus insciis domesticis, eo irrepfis-*

a L. B. Ryaeo euocatus, institutioni iunioris fratris, Marci Claudii, praefectus, ob religionem tamen, patriam et eas muneris partes rursus deserere, est coactus. Metas deinceps, ab Antonio Viennaeo, L. B. Clereuantio, abductus, eius-

*sem. Confestim ad me duo accurrunt, qui sciscitarentur, quando et quomodo eo uenisssem. Ego, licet non mediocri formidine percellerer, composita tamen ad fiduciam fronte, mibique nullius doli uel criminis conscius, rogauit, ut tantillum expectarent, donec absoluissem descriptionem alicuius monumenti, quod coeperam, qua ad finem perducta, tanquam re bene gesta, ordine explicui meam historiam, ut, uespere superioris diei, in hortos essem exceptus, cum aliis peregrinis, a quibus, postquam paulo longius, quam par erat, secessissem, lecturus et designaturus quaedam antiqua scripta, illi, me relicto, discessissent, cumque paulo post egredi conarer, omnia clausa me inuenisse, coactumque illic pernoctasse. Quod tamen absque ullo taedio mihi accidisse dicebam, capto et occupato in perlustratione tam excellentium rerum, quae in toto hortorum ambitu latissime conspiciebantur. Illi, cum risu ad domum regressi, narrarunt, quicquid mihi accidisset, tantoque absuit, ut durius exciperer, propter id factum, ut*

eiusque filiorum studiis praepositus, Galliam, Germaniam, Italiam, peragravit. Dolendum uero, antiquitates, quas collegerat, et, apud forum, in comitatu Montibelgartenfi, deposuerat, Lotharingorum in eam regionem irruptione, omnes, praeter, quas ante in Lotharingiam, Meras Medi-

A 4

dioma-


cardinalis, mei misertus, quod absque coena sub dio pernoctassem, iusserit, mihi ientaculum praeparari, ne nimia inedia mea ualetudo offenderetur, summaque cum delectatione reuoluit meas chartulas, laudauitque industriam meam, et uoluit, ut deducerer in eius palatium, quod amplissimum habebat, in urbe plana, ad Campum Martium. Permisit quoque, ut omnia, quae illic essent, uiderem, et pugillaribus, ad id praeparatis, quaecunque placerent, exciperem. Ego postea, ut gratus uiderer, erga tam beneficum principem, exemplar omnium, quae domi suae mihi communicata erant, diligenter exaratam, illi obtuli, libello uno comprehensum, quem non solum hilari fronte excepit, sed, donum dono compensans, numismata antiqua mihi largitus est, duo aurea, duodecim argentea, et totidem abenea, cum parua Apollinis aerea statua, altero brachio manca.

diomatricum, transferendas curauerat, eum amisisse. † Metis, ubi metam uitae fortunaeque suae fixerat, A. MD CII, aetatis LXIII. (a)

FRIDERICVS BRUMMERVS,  
Lipsiensis, patre mercatore, prognatus, uir longe doctissimus, nec uulgaris olim futurus polyhistor, scriptisque elegantissimis, a D. Georgio Beyero coniunctim, A. MD CC XII, in 8, editis, quae ipsi *Brummeriana* inscribere placuit, clarus, in itinere Gallico, Sabi, quod flumen tum ex pluuiis creuerat, submersus, cum cursor publicus pontem, ut uiae faceret compendium, praeteriret, et per flumen, aqua tumidum, transiens, a uia aberraret, † A. MD C LXIX, in cuius honorem Fridericus Benedictus Carpzouius sequens confecit

EPI-

(a) Vid. Io. Petri Lorichii *Bibliotheca Poetica*, P. III, p. 78, sq. *VVittenius*, d. l., *Baylius*, d. l., *Hankius*, d. l., p. 257, sqq., et 391, sq. *Halleruordii Bibliotheca Curiosa*, p. 165, *Adolph. Clarmundi Vitae clarissimorum in re literaria Virorum*, P. I, p. 40, sqq., *Matth. Koenigii Bibliotheca Vetus et Noua*, p. 119, *Obseruationum Selectarum Hallens.*, ad Rem literariam spectantium, p. 2, sqq.



EPITAPHIVM,

Tumulo Honorario

FRIDERICI  
BRVMMERI,

ΘΕΟΦΙΛΕΣΤΑΤΟΥ ΚΑΙ ΠΟΔΥΜΑΘΕΣΤΑΤΟΥ,

*extra patriam defuncti ac sepulti,*

in patria a scriptum.

*Plin. L. I, ep. XII.*

Luctuosissimum genus mortis est,  
quae non ex natura, nec fatalis, uide-  
tur. Nam utrunque in illis, qui mor-  
bo finiuntur, magnum ex ipsa necessi-  
tate solatium est, in iis uero, quos *non*  
*sua mors* aufert, hic insanabilis dolor  
est, quod creduntur potuisse diu ui-  
uere.

Hoc tumulo  
non quiescunt cineres,  
quos, inuida Germaniae, Gallia habet;  
sed colitur memoria,  
ob casum tristis, ob spem laeta,  
Virtutum

FRIDERICI BRVMMERI,

Lipsiae, honestis parentibus nati,

A 5

Aetate

❧ ( 10 ) ❧

Aetate iuuenis,  
Ingenio uiri,  
Eruditione senis,  
Terris erepti,  
Aquis submersi,  
Coelo recepti.

Hic,  
post praeparatam in patria, praeclaris  
studiis,  
pueritiam,  
ingenium, mores, uitam,  
publicis usibus alibi adornaturus,  
Germania Galliaque perlustrata,  
in Italiam transiiciens,  
in ipso maturae iuuentutis uigore,  
omnia aetatum humanarum spatia  
fato complexus,  
uirtute supergressus,  
cum nostra spe suaque fortuna  
compendio transegit,  
et, momento temporis,  
uassitatem temporum,  
longinquitatem uiarum,  
pericula rerum,  
emensus,  
suum diem  
ante diem,

die

☞ (11) ☞

die III Decembris, Anni MD C LXIX,  
obiit.

Aeternum sibi gaudium,  
Parentibus luctum,  
Sororibus fletum,  
Fratribus lacrymas,  
Morti ludibrium,  
Musis detrimentum,  
Nobis desiderium,  
Omnibus exemplum,  
reliquit,  
et nunc, apud infallibilem aestimatorem  
non actuum modo, sed uotorum,  
integram mercedem,  
interrupto licet labore,  
qui magna parabat,  
accipit.

Vt moriens uiueret,  
Vixit, ut moriturus,  
et uiuendo annos expleuit XXVI,  
menses quasi decem,  
breue tempus, si aeternitatem cogites,  
longum, si miseriam aevi spectes.

Terras exosus,  
Aguas adiit,  
Has malefidas expertus,  
Spiramento ab iis praecluso

uita

uita exclusus,  
 coelum petiit,  
 superior nunc terris et undis,  
 quies nec ignea anima multum  
 dilectae  
 Praeceptoris sui incomporabilis  
 Reinesii,  
 cui per uitam totus adhaeserat,  
 et, anno ante mortuo, iungi uolebat,  
 animae.

Quibus se addit eodem anno  
 Chari parentis,  
 anno post, huius fratris beata mens,  
 quae aeterno gaudio nunc saturantur,  
 nunquam saturae.

Exuias defuncti,  
 quae egregium ciuem, quem  
 Germania credidit,  
 non reddidit,  
 uidit, sed patriae suae inuidit,  
 complexa est, sed complexu ipsius nos  
 priuauit,  
 solam memoriam reliquit  
 non relinquendam.

Animam DEVS,  
 Corpus terra,  
 Famam, Nomen, Memoriam,  
 Amici asseruant.

Horum



Horum non postremus,  
 postremo tamen loco,  
 in defunctum amoris et desiderii,  
 in superstites cognatos obseruantiae et  
 fauoris,  
 testimonium,  
 cum aureum, aut marmoreum, non  
 posset,  
 immo, ne sepulchrum quidem in patria  
 ab hac diuisis exuuiis erigi liceret,  
 Honararii tumuli loco,  
 chartaceum hoc et inane  
 monumentum  
 Familiae Brummerianae Cultor  
 Lubens Meritoque  
 posuit. (a)

CHRI-

(a) Vid. E. Tenzelii Colloq. Menstr. A. 1696,  
 p. 16, sq., D. Beyeri Notitia Autorum Iu-  
 ridorum, P. III, p. 57, Praefatio Brumme-  
 rianis praefixa, VVittenii d.l. Acta Erudito-  
 rum A. 1712, p. 506, Buddeus, d. l., D. Goezii  
 Dissertatio Historico-Literaria de Eruditis,  
 qui uel aquis perierunt, uel diuinitus li-  
 berati fuerunt, p. 4, sqq.

CHRISTINA,

Gustavi Adolphi, Gothorum regis, filia, A. MDCCXXXIII, patre, in pugna Luzensi interfecto, ipsi in regno successit, quo tamen, A. MDCCCLIII, denuo sponte cessit, Romanque adiit, atque ibi religionem mutavit (a). Literas utique calluit, viros eruditione praestantissimos permagni fecit, eos in aula fouit, cum multis etiam uiris celeberrimis, quorum in numero fuerunt, Salmasius, Heinsius, Cartesius, Kircherus, Boeclerus, Freinshemius, Scherferus, alique, commercium habuit literarum, † A. MDCCXXCIX, aet. LXIII. (b) AR-

(a) Orationem, qua regno, sese abdicauit, exhibet Crenius, *Animaduers. Historic. et Philologic.* P. IV, p. 57, sqq.

(b) *Vid. Theatrum Europ.* T. VII, p. 638, T. IIX, p. 318, 996, *Pufendorffii Histor. Einleitung in die, Hist.*, P. II, p. 674, sqq., *it. Belli contin. L. XXVI, it. Res Gestae Caroli Gustavi, Io. Palatius, Aquilae Austriac.* T. IV, Lib. L, p. 282, *Heinrich Anshelms von Ziegler und Kliphausen Taeglicher Schau-Platz der Zeit*, p. 370, sqq., *Tenzelii Curieuse Biblioth.* A. 1706, p. 347, A. 1705, p. 428, sq., *Anonymi Leben der Koenigin Christinae*,

ARNOLDVS  
CLAPMARIVS,

Bremensis, Altorfii Historiarum primum, posteaque Politices, per quadriennium Professor, † A. MDCCIII, aet. XXXI, omnibus eruditus dolorem, (a) parenti luctum, fratribus desolatis aeter-

Lipsiae, A. 1705, ed., *Gebeime Nachricht vom Schuedischen Hofe, unter Regierung Carl des XI, p. 35, sqq.*, *Iunckerus, d. l., p. 91, sq.*, *Ebertus, d. l., p. 90, sqq.*, *Paulini, d. l., p. 40, sq.*, *Autor Libri, cuius inscriptio, Histoire de Louis de Bourbon, Prince de Conde, Livre 4, p. 464, c' etoit assez son defaut de changer sans cesse de resolution, et de uoltiger de pens e en pens e sans iamais s' arretter   aucune. Tant t elle etoit toute dans l' etude, entierement appliquee   la lecture, et enuiron e de Scauans de tous ordres, et bient t apres, elle qui toit ses Liures, traitoit des pedants incommodes les Scauans, qu' elle uenoit d' ecouter avec auidit , et se donnoit toute entiere aux diuertissemens. Conf. Mr. de Vigneul Maruille in M langes d' Historie et de Litterature, Vol. II, p. 351, sq.*, *Engelkenius, d. l., p. 36., sq.*

(a) M. D. Omeisii Gloria Academ. Altorf., (p. 191, Jac. Frider. Reimmanni Einleitung in

*aeternum desiderium, conditionis humanae  
et omnium uirtutum luculentissimum relin-  
quens exemplum.*

**PAVLVS COLOMESIVS,**

Rupellensis, Londini primum, de-  
inde Angl. eccles., Presbyter, postea  
Archiepiscopi Cantuariensis Bibliothe-  
cae Praefectus, sed cum hic, Iacobo,  
rege, ab imperio remoto, recens electo  
Viliamo, ac Mariae, reginae, iusiur-  
randum praestare, nollet, munus relin-  
quere, est coactus, quod idem Co-  
lomesio accidit, et, quanquam fere-  
niss. Duci Holsatiae commendaretur,  
ut Gottorpium ad idem uocaretur mu-  
nus, eamque conditionem accepturus  
uideretur, aegritudine tamen animi ci-  
tius est confectus, quam res ipsa con-  
ficeretur, † Lugduni, A. MDCCXII.  
*On decourrit auant, scribing Baylius, (a)  
que de l'enterrer, qu' il auoit contracté a*  
*Lam-*

*die Hist. Liter. Germ., P. IV, 3, Hauptst.  
P. 105, Godofr. VVageneri Disp. II, de Eru-  
ditis Militibus.*

(a) d. l.

Lambeth un mariage de conscience avec une fille de basse condition, Il lui laissa un legs de 30 livres sterling, ce qui la fit reuenir de l' affliction qu' elle auoit fait eclater avec de cris extraordinaires le iour de l' enterrement. (a)

AVGVSTINVS CVRIO,

In Basileensi Academia eloquentiae Professor, † A. MDCC LXVII, cuius memoriam pater marmori, quod uocatur, Alabastrino inscribendam curauit.

Ianua D. Ser. So. Sa. Vitae

Coelius Secundus Curio, Augustino, Dulciss. sanctissimoque Polyhistori, Rhetori, cuius corpus hic, cum III sororibus lectiss., iacet, Spiritus cum Christo, nomen immortalibus scriptis uiuit in terris, socio et herede studiorum orbatus, dum reuiuiscet, Po. Vixit A. xxix, obiit, A. Dom. MDCCXXVII, die xxiii, Octobris.

Huius ad exemplum, iuuenes, florentibus annis Viuere rite Deo, discite, rite mori. (b)

B

AN-

(a) Vigneul Marville, Melanges T. I, p. 306, Koenigius, d. l., Buddeus, d. l., Clarmundus, d. l., P. XI, p. 190, sqq.

(b) Vid. Christiani Vrstisi Epitome Historiae Ba-

ANGELA CURIONIA,

Coelii Secundi Curionis filia, Laufan-  
nae primum Rectoris, deinde Basileae  
eloquentiae Professoris, filia, Neapoli  
nata, Etruscam, Gallicam, Germani-  
cam, Latinam, calluit linguam, id quod  
ex epitaphio, a parentibus ipsi posito,  
constabit.

Piet. Vir. et Honori. D

Angelae Curioniae, nobili et generosae pu-  
ellae, cuius diuino ingenio atque in-  
dustriae nihil difficile unquam est ui-  
sum, quod ingenuam pudicamque puellam  
deceret, quae Italice, Germanice, Gal-  
lice, uenuste loquebatur, Latinae non  
ignara, omnis elegantiae decorisque  
studiosa, candore animi, uirginali uere-  
cundia, religione in Deum, pietate erga  
parentes, caritate in fratres sororesque,  
comitate in omnes, insigni fuit. Coelius Se-  
cundus Curio, pater, et Margaretha Isacia,  
mater, Itali, in beatae reparationis spem,  
filiae dulciss. ac praestantiss. P. P. Pe-  
stilentiae ardore triduo consumpta, ad  
Christum Iesum mira alacritate migra-  
uit,

Basileensis, Baylius, d. l., Freherus, d. l.,  
p. 1466, Buddeus, d. l.

uit, aetatis suae anno *XIIX*, *sal. hum.*  
*clv* *13 c* *XLIII*, *Non. Aug.*

Duas habuit forores, Coeliam et Felicitatem, linguarum, Latinae, Gallicae, Italicae, praeter patriam, peritas, quarum altera, anno aet. *XVII*, altera *XVI*, peste obierunt. (a)

DIONYSIVS,

*Vir*, iudice *Caueo* (b), propter doctrinae pietatem, vitae sanctimoniam, morum gravitatem, sermonum eloquentiam, inter sui seculi praesules celebratissimus, Praesul fuit Corinthiorum, et circa *A. C. CLXX* floruit, ac, teste *Graecorum* *Menaeo*, martyr obiit, quoniam caput ei, circiter *A. C. CLXXIIX*, amputatum. Scripsit *Epistolam ad Gnosianos*, in qua *Pinytum*, eorum episcopum, monuit, ne graue castitatis onus fratrum cervicibus, tanquam necessarium, imponeret, sed eius, quae plerisque inest, infirmitatis rationem haberet. (c)

B 2

ELISA-

(a) *Vid. Freherus, d. l., Schultetus, d. l., Disp. I, p. 13, Paullini, p. 44, Sauerbrey, d. l.*

(b) *Hist. Liter. P. I, p. 43.*

(c) *Vid. Eusebius, V, 23, Hieronymus, in Catal., p. 277, sq., Ioannis Godofredi Olearii Bibliotheca Scriptorum Eccles. T. I, p. 202,*

ELISABETHA ,

Defuncta forore, Maria, Angliae regina, Heinrici IX, ex Anna Bolenia, filia, A. MDLXIX, regnum occupavit, *virtute sua*, referente Thoma Lanfio (a), omnibus bonis principibus praeluxit. Femina, praeter multas corporis dotes, supra sexum prudens, multisque literis expolita, Graece et Hispanice mediocriter, Latine uero, Gallice et Italice, ad miraculum, docta, quae uno eodem die, tribus maximorum regum legatis, Latine uni, alteri Gallice, tertio Italice, responderi audita est. Et G. I. Vossius scribit (b). Elisabetha, literarum linguarumque scientia ad miraculum instructissima, necdum ea annum implerat septimum decimum, cum terse loqueretur, non Gallico solum, uel Italo, sermone, sed etiam Romano, Graece quoque lectitaret, primum noui foederis codicem, hinc alios atque alios, in primis Sophoclem, immo, Isocratis illam ad Nicoclem, et alteram, quae Nicocles inscribitur, Latine redderet. Et, quod maiorem habet admirationem, non resedit ardor

M. Adami Zabnii Epist. Gratul. in Nuptiis  
M. Christiani Kubnii, A. 1704, scriptam, de Coelibibus coniugii ministerialis Vindicibus, §. 4.

(a) In Consult., Orat. pro Gallia, p. 188, sq.

(b) Epist. V, ad Carolum, Britanniae regem, p. 15, b.



ardor ille studiorum, ubi regium tenuit sceptrum, sed tum quoque, si per regni negotia staret, uersare illa praestantissimos Latii ac Graeciae Scriptores, inde linguam expolire, animum salubribus pascere praeceptis et exemplis. Immo, hucusque eius progressam esse industriam, accepimus, ut de Consolatione Philosophiae Boethium, de Arte Horatium, de Iugurtha Sallustium, de Curiositate Plutarchum, et alios, qui me fugiant, Anglice uerteret, suaque manu transcriberet. Quid, quod tum etiam ingenii sui aliqua condidit monumenta, in quibus non infimum locum merebantur tot orationes, non minus illae Romani sermonis puritate, quam sententiarum pondere, commendabiles. Earum habuit alias ad exterarum gentium legatos, alias ad Angliae suae Academicos, quorum studia quantopere fouerit, grandi illud argumento erit, quod curarit quotannis sibi commentariolis perscribi, qui potissimum et qua parte excellerent, ut ita uirtuti cuiusque melius pretium rependeret. † coelbes (a), Richemundae, A. CIO IO CIII, aet.

B 3

LXIX,

(a) De Coelibatu eius, inquit Iac. Thomafius, Disp., de Elisabetha, Lipsiae, A. 1674, hab., aph. 10, quem iam colere unice, iam abiicere ac commutare dulci connubio, saepius meditaba-

tur, dicere prolixum esset, sed id negotii ad pauca cogi potest. Prout autem tempora, ita consilia, uariabant. Principio, ubi ex Scotia minus gratum sidus Anglico successurum se exhiberet, subditi nuptias anxie ac prope tumultuose flagitare, ipsa recusare, cura uero ista dissipata, rursus illis dissuadere, haec appetere. Subdito nubere, id quod a subditis flagitabatur, dignitati suae minime congruum, exterum uero maritum accersere, nec utile adeo regno, nec subditis gratum, uidebatur. Interim frequenti procorum turba, qua forte uix ulla post hominum memoriam uirgo laborauit. Inter praecipuos, qui erant, Philippus II, Hispaniae, Ericus, Sueciae, reges, Carolus Austriacus, Henricus Andegauensis, deinde rex Franciae, Franciscus Alenconius, postea Andegauensis, nemo nuptiis propior fuit, quam postremo nominatus Alenconius. Sed, quoniam ab iis populi uoluntas, ex religionis scrupulo partim, partim Gallici odio nominis, despectebat, et illa quoque abhorruit. Atque ita regnum pro marito, subditos pro liberis, gerens, uitam perpetuo coelebs exegit. -- Fuit autem, dum uiueret, princeps et animi, et corporis, dotibus supra sexum incomparabilis. Statura iusta, eaque ad insignem pulchritudinem composita, ingenio acri, tenacis memoria, iudicio exquisito. Studiose literarum, et ad miraculum erudita, literatos aestimauit adeo, ut, quando a publicis uacauit, ipsa

ipsa non nunquam Cantabrigiensem Oxoniensemque Academias inuiseret, singula collegia perlustraret, tempusque protruderet inter studiosorum dissertationes. Legatis ex tempore respondit ea fere lingua, qua negotium quisque suum exposuerant. Constantiam, dignam principe uirtutem, coluit, et, ut aures ea animumque subinde circumsonaret, pro symbolo usurpauit, Semper eadem. Temperantiae, quae sequiori sexui propria esse debet, omni tempore inseruit, neque cibum sumpsit, nisi appetitus suaderet, nec merum gustauit. Frugalis priuatim, publice magnifica. In omnibus rebus singularem quandam grauitatem, cum multa comitate commistam, ostentauit. Ad regnandum ab ipsa uelut natura efformata, artesque necessarias edocta, nauem reipublicae ita direxit, ut a tot tantisque, uno toties impetu, ingruentibus procellis saluam eam illaesamque praestiterit. Sed, quid multa? ipsi hostes uirtutes nostrae, quanquam non sine inuidia, admirati, et inter eos facile princeps, Pontifex Sixtus V, hoc largitus testimonium est. Toto orbe, per saepe dixit, se unum uirum et feminam, Henricum Nauarrum et Elisabetham indicans, uidere, dignos, nisi labe sectaria infecti essent, qui regnarent, et quibuscum ipse de ingentibus rebus consilia, quae animo agitabat, communicaret.

LXIX, regni LXV. (a)

BELTIZIA GOZODINA,

Bononiensis, Amatoris Gozadini filia, genere procreata, uirgo fuit eruditissima, et ingenuis artibus mirum in modum culta, de qua Hilarion Costa (b) sequentia tradit. *Contemnens colum et acum, omniaque exercitia communia sexui muliebri, sese dedit studio linguae Latinae et Iuris, in quibus tantos fecit progressus,*

(a) *Vid. Camdenus, Annal. Angl. ad A. 59, p. 49, A. 66, p. 121, sqq., A. 64, p. 107, A. 72, p. 249, Thuanus, L. 129, Cassp. Ens, Hist. Belli Ciu. Belg. in B. A. 1603, p. 244, Gregorius Leti, in Het Leuen uan Elisabeth, Koninginne uan Engeland, Hagae Comitum, A. 1698, 8, Ionstonius, Rerum Britann. L. III, p. 421, Io. Iac. Hofmanni Lexicon Vniuersale, Iunckerus, d. l., p. 97, Zieglerus, d. l., p. 297, sqq., Francisci Sanforts Genealogische Historie der Koenige in Engeland, Ioannes de Serres Chenius, Hist. Angl., Scaligerana, p. 43, ubi haec extant uerba, Elle sc̄avit plus quietous les grands de son vivant, et parloit Italien, Franfois, Allemand, Latin, Grec et Anglois. Elle est morte de melancolie, parce qu' elle pensoit, qu' on la méprisoit. Schultetus, d. l., p. 13.*

(b) *In Elogiis Regum Principumque, T. I, P. 3, p. 522.*

*fus, ut, A. c10 10 xxxii, aetatis suae xxxii, orationem funebrem Latinam habuerit in templo primario Bononiensi, tempore exequiarum domini Ludouici Frattae, episcopi istius loci, quam auditores admirati sunt. Dehinc, post triennium, eadem in uniuersitate, titulo Doctoris iuris insignita fuit, ac deinceps priuatim Institutiones iuris iuuentuti, tanta cum laude, exposuit, ut tandem ad publicam professionem uocaretur A. c10 10 xxxix, in quo applausum studiosorum, magno numero uariis ex nationibus eo confluentium, merita fuit. Plures composuit Iuris commentarios, qui postea, typis impressi, prodierunt, sub nomine ficto et alieno. Quo uero melius posset incumbere studiis, mansit coelebs et sine marito. † A. c10 10c XLVI, aet. XLVI.*

**MARTHA MARCHINA,**  
 uirgo Neapolitana, a parentibus, ignobilioribus, A. c10 10c, orta, iam primis adolescentiae annis, Hebraeam, Graecam Latinamque, calluit linguam, epigrammata item, Graeca et Latina, confecit. † A. c10 10c XLVI, aet. XLVI. Erythraeus (a) sic de ea scribit. Haec, etiam tum in-

B 5

fans,

(a) Erythraeus, d. l., III, p. 298.

*fans, Romam, in parentum sinu, delata, haec a nemine, nisi fortasse diuinitus, edocta, egregie Graecam, Latinam et Hebraicam, linguam nouerat, tum philosophicis, theologicis ac liberalibus omnibus, disciplinis, non leuiter erat, sed literate, perita, deinde epigrammata Graeca, sed Latina in primis, eleganter arguteque conclusa, fundebat ex tempore, cuius elegantis ingenii formam, inter illustrium uirorum imagines, qui mea aetate flouerunt obieruntque, referre non distuli. (a)*

GREGORIVS NAZIANZENVVS,

Arianzum, pagum, in confinio Nazi- anzi, obscuri in Cappodocia secundi oppidi, ab quo etiam nomen hausit, fitum, nactus est patriam, Deoque iam in utero a matre consecratus (b), Alexandriam et Athenas, studiorum causa, petiit, atque Athenis primum eloquentiam docuit, deinceps uero Sofi-

(a) *Vid. Erythaeus, d. l., p. 234, sqq., VVitte-  
nius, d. l., P. II, p. 58, Iunckerus, d. l.,  
p. 55, sq., Schultetus, d. l., p. 5, sq., Hof-  
mannus, d. l., Buddeus, d. l.*

(b) *Vid. ipsius Gregorii Poema de Vita sua,  
scriptum ad populum Constantinop. et prae-  
fixum OO. eius, Basileae, A. 1571.*

Sosimorum, tum Nazianzi, tandem-  
que urbis Constantini, Praesul est fa-  
ctus, quo tamen munere, A. C.  
ccc xxcii, ob antistitum tumultus, se  
abdicans, Nazianzum rediit, ubi ple-  
runque ruri, ad A. usque ccc xxcix, ui-  
tam egit. A Matrimonio abstinuit, id  
quod ipse testatur, ita canens (a),

Αὐτὰρ ἔπειτα γάμοιο βαρὺν ζυγὸν ἐκτὸς  
ἔθηκα,

Ἵψηλὴν ποθέων μῦθον αἰεθαλέων.

Post iuga connubii procul a me dura re-  
mouui,

*Virgineos capiens laetus adire choros.*

Et alibi dicit, (b) ὅτι γυναικὸς ἀλλοτρι-  
ας ἐπεθυμήσαμεν, οἱ μὴδὲ ἰδίαν ἔχειν θέλησαν-  
τες, *Qui, nos alienam uxorem expetiisse,*  
*aiunt, cum, ne propriam quidem habere, no-*  
*luerimus.* (c)

IOAN-

(a) Oper. T. II, Carm. IV, p. 72.

(b) T. I, Orat. 17, p. 468.

(c) Vid. Greg. Presbyteri Oratio, de Vita Gr.  
Nazianzeni, Hieronymus, de Script. Eccles.,  
c. 117, Baronius, ad A. 380, et 89, Caveus,  
d. l., p. 155, Olearius, d. l., p. 294, sqq.,  
Baylius et Buddeus, d. l.

IOANNES NEVIZANVS,

IC. clariffimus, Italus, Mufis Paduae eft operatus, ac deinceps Turini confedit, † A. MD XL. Il publica entre autres ourages un traité, qu' il intitula *Sylua Nuptialis*, (a) où il fit paroître son inclination à debiter des plaifanteries, et une érudition affaifonnée de curiofitez diuertiffantes. Il y entaffa beaucoup de recueils de medifance contre le fexe. Quel ques uns difent, que les femmes de Piemont n' entendirent point raillerie, et qu' elles fe uangerent de lui cruellement. Il ne fut iamais marié, mais il entertint une concubine, et en eut un fils, qui fut Avocat. (b)

ISOTA NOGAROLE,

Veronenfis, docta et eloquens uirgo, praeter linguas, et philofophiae, et facrarum literarum, perita fuit, immo, patres, Hieronymum praefertim et Auguftinum, diligenter peruoluit. Varios

(a) Baylius, d. l.

(b) Vid. D. Io. Andr. Quenftadii, de Patriis illuftr. doctrina et Scriptis Virorum, p. 288, Koenigius, d. l., Buddeus, d. l.



rios sermones, in Nicolai V et Pii II ; RR. PP., praesentia, habuit, et Bessarion, purpuratus, eam audiendi causa, Veronam profectus est. † Anno MDCCC LXVI, aetatis XXXIX, scriptis non unius argumenti relictis. (a)

MATTHIAS PASOR,

Georgii filius, Herbornae Nassouiorum, A. MDXCIX, natus, A. MDCCXIX, in Academia Heidelbergensi extraordinarius, et, anno insequente, ordinarius, Philos. Prof. est factus, sed, A. MDCCXXII, urbe expugnata, in patriam reuersus. A. MDCCXXVI, Oxonii, in collegio Exoniensi, Arabicam, Chaldaeam et Syriacam, atque, in collegio nouo diuae Mariae, Hebraeam, docuit linguam. A. MDCCXXIX, Groningam ad Philosoph. Moralis, cui etiam, A. MDCCXXXV, Matheos accessit, prouinciam est uocatus, A. autem MDCCXL, summis in theologia honoribus auctus, Professor eiusdem ibidem est constitutus, eoque munere, una cum morali professione, exinde sustinuit,

(a) Vid. Buddeus, d. 1.

nuit, † A. CIO IDC LIX, aet LIX. On (a) remarque très expressement dans son Oraison funebre, qu' il ne uécut point garçon en uertu de quelque voeu particulier, ou par auersion pour un mariage bien assorti, car au contraire, il en étoit l' apologiste le panegyriste, quoi qu' il deplorât, qu' une condition si utile et si necessaire, instituée dans l' état même d' innocence, eût été assuiettie par le peché à tant de difficultez. Ce qui fit donc, qu' il ne se maria pas, fut, que les premieres années de sa ieunesse eurent besoin d' exemption à l' égard des soins domestiques, qu' ensuite il se trouua dans un état de persecution et d' exil, qu' après cela il sentit sa santé un peu delabrée, enfin qu' il auoit conçu beaucoup d' esperance de Jean George Pasor, fils de son frere. (b)

IOANNES RADCLIFFVS,  
Medicinae Doctor, † Lugduni, A.  
CIO IDC CXIII. Quoniam coelebs uixit,  
magnam-

(a) Baylius, d. l.

(b) Vid. Freberus, d. l., p. 1545, VVittenius, d. l., Vitae Profess. Groening., Hofmannus, d. l.

magnam pecuniae uim ad pias causas legauit. (a)

ANNA MARIA  
SCHVRMANNIA,

in dioecesi Coloniensi orta, Traiecti ad Rhenum claruit, et, ob singularem eruditionem, magnam sibi famam comparauit. Femina fuit eruditissima, atque Hebraeam, Chaldaeam, Syram, Arabicam, Turcicam, Graecam, Latinam, Gallicam, Etruscam, Hispanicam, Germanicam, Belgicam, Batauicam, nouit linguam. Symbolo utebatur, *Amor meus crucifixus est.* Narratur quoque de ea, araneas in deliciis ei fuisse. † A. MDCLXXIIX, aet. LXXII. Quamuis autem anno aetatis XIII, matrimonium contraheret, in coelibatu tamen perpetuo mansit. (b)

SIBYLLA

(a) Vid. Gelehrte Zeitungen, A. 1715, pag. 429, sq.

(b) Vid. Ludou. Iac. a S. Carolo, in Biblioth. illustr. Femin., Sauerbrey, Disp. II, §. 48, VVirtenius, d. l., Paulini, d. l., p. 135, sqq., Feustkingius, d. l., p. 503, sqq., Schultetus, d. l., p. 9, sq., Ebertus, d. l., p. 317, sqq., Iunckerus, d. l., p. 119, sq.

SIBYLLA SCHVVARZIA ;

poetria haud inuenusta, Gryphifualdi ,  
A. MDCCXXI, nata, † A. MDCCXXXIX,  
Poemata eius posthuma, M. Sam. Ger-  
lachius , Gedan. ; A. MDCCCL. in 4,  
uulgauit. (a)

VIGNERIA ,

sive de *la Vigne*, uirgo in Gallia eru-  
ditissima, quae, statim in adolescentia,  
uersus non uulgares fecit. Odam, in  
Galliarum regis honorem confectam,  
una cum illa, qua Scuderiae celebra-  
uit laudes, Pelissonius uulgauit, † in  
optimo aetatis flore, calculo, quem  
e studiis sibi contraxerat morbum.  
(b)

DIALO-

- (a) Vid. *VVirttenius*, d. l., *Morhofius*, in *Vn-  
terricht von der Teuffchen Sprache und Poe-  
sie*, P. II, p. 738, *Iunckerus*, d. l., p. 68,  
sq., *Schultetus*, d. l., p. 10, *Ebertus*, d. l.,  
p. 325, *Paulini*, d. l., p. 142, sq., *Sebast.  
Kortholtus*, de *Enthuf. Poet.*, p. 19.
- (b) Vid. *de Vigneul-Maruille*, *Melanges d' Hi-  
stoire et de Literature*, p. 74, *Monat. Aufzuge*,  
p. 17, sq., *Schultetus*, d. l., *Disp.* II, p.  
14.

DIALOGVS FESTIVVS  
DE  
PHILOSOPHI VXORE  
SIVE  
AN PHILOSOPHO SIT DVCENDA  
VXOR  
COLLOCVTORES  
BARLAEVS PETITIVS

---

**B.** Saepius me Vltraiectum uocas, Petiti dilectissime, ut loci amoenitate captum detineas aliquandiu, et amico fruaris, quem nunquam tibi grauem difficilemque expertus es. P. Ita est, mi Barlaee, docuisti me olim, cum sapientiam, in agris ambulans, profitereris, Aristotelem, inter alia felicitatis humanae bona (neque enim illam sapientissimus philosophus unius boni angustiis circumscribit) amicos recensere, nec carere illis posse, nisi, qui aut Deus sit, aut, ut ille loquitur, *ἄγγελος*, hoc est, e ferarum genere, quae solitudine gaudent. Et, cum amicus quilibet esse non possit, ita facto accidit, ut ego in amicum te, tu in amicum me, incideris, optima ac laudabili relatione, quae nulli omnium rerum, quas hoc uniuersum habet, et quas decem Categoriis clausit Archytas Tarentinus, locum cesserit. B. Amicos et coeli fauor, et prudens electio, conciliat, ideoque amicitiam tuam coelo maxime,  
C mihī

mihī, ut secundae tantummodo causae, imputo. Obseruabam iam tum in te candorem, et comitatem, sponte natam, et discendi studium, et ingenium bonarum praeceptionum capax, quae, cum te mihi conciliauissent (anni iam sunt uiginti et sex) amicitiam tuam iis, quibus oportuit, mutuae humanitatis et beneuolentiae officii foui et colui, alloquiis, puta, literis, mensa, nec sicca prorsus, nec liquoris profusi, risibus iocisque, citra ullius contumeliam, innoxiiis. Et fecit haec res, ut quotannis, ueluti homagio, utar Feudistarum tuorum uocabulo, me obstrinxis, inuisendi te, et in Episcopalem dioecesin transcendendi, ut dies illic aliquot tecum comburam, iis studiis, quibus uacare solent feriati et a stiuua sua dimissi professores. P. Multa sunt, quae me mouent, ut, Traiecti ad Rhenum te esse, malim, quam Amstelodami. Et enim et coelo illic salubriore uiuimus, et elementis melius se habentibus, solum altius puriore nos aere inuoluit, quam paludes uestrae, quibus merfi, sensim ad inferos descenderetis omnes, nisi trabibus totoque Septentrione fulcimini. Iam urbem nostram uide, et qualem quantamque turrim attollat coelo, quam sola ostendat augustam Adriani, utinam non pontificis, domum, quam sola canonicorum illustres confessus habeat, et ueteris Rheni uestigia, et extra pomperia ambulacra amoenissima, porticus frondiferas umbrosasque, ut, si ullibi, hic sit formosissimus annus, et Thessala Tempe.

B. Mi-

B. Mira narras, nec tamen hoc mirum, laudari a te urbem, quae uitae tibi primordia dedit et doctrinae. Nihil ego eius laudibus detraho, uti turrem ipsam, ita et multa alia eximia excellentiaque, habetis. Sed, ne, Amstelodamum urbe tua minus beatum, puta, aut, iis minus abundare, quae magni facimus mortales. Pro turri uestra, turres hic nobis sunt et Phari plurimae, partim per mediam urbem sparsae, partim ad Yae, fluminis, ripam ordine succedentes. Si elementis uiuitis sanioribus, hic corporibus mixtis mercatores gaudent utilioribus et metallis ponderosioribus. Si editius uobis solum est et minus paludosum, tanto longius abestis a re optima, aqua nempe, quam Pindarus *ἀριστον* uocat. Si trabibus syluisque innitimus, minus magnifice aedificamus, et soli uitio frenamus luxum. P. Quae illa metalla sunt ponderosiora? B. Aurum et argentum, quae parcius Apostoli, luculentius Mercuriales nostri, possident. Sed nondum omnia ad commendationem urbis meae dixi. Pro pontificis domo, nobis tot sunt pontifices, qui Amstelam, amnem, et elices Amstelae ac Yae fossas, mille pontibus sternunt. Canonicorum collegia ueneror, praesertim, cum ad canonem uiuunt. Verum et nobis sunt coetus confessusque illustres et conspicui, nempe utriusque societatis, et quae ad orientem, et quae ad occidentem, militat et mercatur, ad haec quem mari praefecere Foederati Ordines, et, qui maris Septentrionalis

trionalis potissimum curae inuigilat. Ambulacra nobis non extra pomoeria, sed intra, sunt, ut ausim dicere, nullum uerno aestiuoque tempore amoeniorem ullius urbis, toto terrarum orbe, esse conspectum. Sunt etiam hic uiduae, Petiti, ex illustri uiduarum familia plurimae, inter quas una est, quam cupidioris oculo aspecto, quam orientem solem, aut, si mauis me proprie loqui, lunam, tunc, cum, cornuum expers, pleno lumine et honore fulget. Huius conspectum, colloquia, praesentiam maioris facio, quam ueterem Rhenum, quam Adriani domum, quam ueneranda canonicorum subfella. P. Quid hoc rei est? quale uerbum fugit septem dentium tuorum, ut Homericis uersu loquar? Haecine philosophi et sapientis oratio est? Videris mihi nondum excussisse animo ueteris uestigia flammae. Insanire tibi denuo libet, quod tanta contentione uiduam illam praedices? Ego inter stultitiae species pono secundas nuptias, praefertim eius, qui iubilaeum quinquagenarium uixit. Serio illa loqueris, Barlaee, an diatribam me uocas et dissertationem. B. Dico, quod res est. De nuptiis nihil in hunc usque diem statui, mei, per Dei gratiam, iuris sum, nulli uel uiduae, uel uirgini, obnoxius. Verum, tam mihi chara est coniugis memoria, ut uehementer diligere possim aliquam, quam, an ambire uelim, etiamnum delibero. Et, si ducerem, non stultitiam hoc ipsum, sed sapientiam, interpretarer. P. Sapientiae, in plebeis,



beis, hoc ipsum, et indoctis, concessero, in philosopho nequaquam, qui coniugum aduersa omnia et casus inopinatos perspectos habet ad unguem. B. Nihil attinet super his *παράπραγμῶδεν*. Esto hoc problema nostrum, An Philosopho sit ducenda uxor. Ego affirmantem partem astruam, tu inficiantem tuere. Quid alii statuant, non moror, rationibus pugnabo, et quidem non uulgaribus et communibus, sed ex ipsa philosophia eiusque penetralibus petitis. P. Hoc si euiceris, mutabo sententiam, licet sapientiae me studiosissimum, non sapientem, profitear. B. Nec ego me. Exoleuit sapientis nomen in scholis, ex quo sapientes modestius loqui docuit Pythagoras. P. Mare controuersiarum ingressus es, sacculos iam tuos et utres aperi, et dimitte zephyros bonae mentis, ut decurras tuto, et iucunde, et cito, hoc, quod ingressus es, pelagus. B. Ordiam a definitione, uti philosophi mos est. Tu ne stultitiam, mi P., arbitraris, si coniugali se copula nectat philosophus, cum sapientiae definitio, ipsissima sit coniugalis copulae definitio? P. Desidero audire, quo rem deducas. B. Sapientia rerum diuinarum et humanarum cognitio est, per causas, ad hominis perfectionem, prout illa naturali intellectus lumine haberi potest. At hoc omne amor coniugalis est. Etenim et humana cognoscit, et diuina. Humana, quia, quid humanum magis, quam mas et femina, immo, quid humanum, praeter illos utriusque sexus homines,

mines, et, quid certius, quam, uirum nouisse, quid sit femina, et feminam, quid sit uir, nec inhumanum est, affari, osculari, delinire, amplecti, indissolubili fide iunctam coniugem. Et, qui haec nouit melius coniugibus ipsis, immo, quis haec nouit recte penitusque, nisi coniux sit? Nec diuina ignorant, qui sciunt, Deum esse supremum nuptiarum conciliatorem, ad eius gloriam has ipsas dirigi debere, qui ex poetis didicere, quid sit Dione, Venus, Cupido, Hymen, Lucina, Thalassio, quae sane omnia amatori sapienti et philosopho ignota esse non possunt. Et sciunt haec sapientes, non superficiteus, sed per causas. Qui contrahunt, causae efficientes sunt, iidemque materia partesque coniugii, forma, quae matrimonium a uagis libidinibus discriminat, legitima et indissolubilis contrahentium coniunctio est. Et facit haec ad perfectionem hominis, cum et Socrati bonum sit, uoluptatibus necessariis frui, et toti humano generi, morientium uices ac damna noua hominum generatione resarciri. Quin, uti philosophia, naturali haec lumine nota sunt, cum gentibus quoque, a sacrae scripturae lumine destitutis, natura blandum inspiret per pectora amorem. P. Nunquam ita studiosis tuis, uel in Academia Leydensi, uel in illustri Amstelodamensium schola, interpretatus es sapientiae definitionem. B. Fateor, quia nunquam hoc mihi paradoxum mouit auditorum quisquam, Philosopho non esse ducendam uxorem. Vrgebo ulterius, et  
Aristo.

Aristotelem, in Metaphysicis, de sapientia differenter, tibi opponam. Octo, ait, esse sapientiae praerogativas, quae omnes coniugii notae sunt et proprietates. Prima est, Sapientiam uersari circa omnia, quod et de amore uerum est, quia in amore insunt omnia. Amor uincit superatque omnia, amor accendit omnes, iis exceptis, qui, naturae uitio, non sunt, quod esse debebant, quin et nouit omnia amor, quia coelestium sibi et terrestrium rerum cognitionem uendicat, uti dixi supra. Secunda est, Sapientem uersari in rebus difficilioribus, et abstrusis, minusque obuiis. Nec aliter sapientia coniugalis, res difficilimas aggreditur, cum difficile sit, eligere eam, quae expediet, et cum elegeris, difficilimum sit nancisci, et, cum nactus fueris, difficilimum sit, iis se illi officiis usque exhibere, quae facilem, leuem, obsequentem, praestent. Et non ne abstrusa sunt amoris arcana, non ne nefas reuelare Eleusinia sacra, non ne tacitum est, quod gliscit sub pectore uulnus? Carpimur caeco igne, et intensos cortina abscondit amores. Tertia est, Sapientiam certam indubiamque esse. At, quid certius ratumque magis matrimonii uinculo, quod nec diuino, nec humano, iure solui potest?

*Felices ter et amplius,  
Quos irrupta tenet copula, nec, malis  
Diuulsus querimoniis,  
Suprema citius soluet amor die.*

Quarta, Sapientiam ad docendum aptissimam esse,

uti et philosophus coniux. Nam multa hic docere habet, quando ducenda uxor et qualis, et, quae generationis sint requisita, quae foecunditatem promittunt, quae sterilitatem minentur, quae mariti partes et officia, quae uxoris, quomodo educandi liberi et formanda tenella aetas, cerea in uitium flecti, ut proprium hoc nouae professionis scholis argumentum esse possit. Quinta, Sapientia maxime expetitur sui gratia, nec ad aliarum scientiarum fines dirigitur, quod et honestioris coniugii proprium est. Expetitur matrimonium liberorum, hoc est, sui, gratia, nec, ut maritus aliis placere studeat, praeterquam uxori suae, aut uxor aliis, praeterquam marito suo, patitur ueneratio religioque sacrosancti nexus. Sexta est, Sapientiam praeesse omnibus artibus et scientiis, iisque robur dare et terminorum intelligentiam. Faciunt et hoc coniugati, praestant et praesunt aliis uitae generibus, ideoque et honoratiores habentur iis, quibus uirginitas et coelebs uita praeeligitur. Imperant liberis, seruis, ancillis, reipublicae gubernaculis admouentur, ius trium liberorum impetrant. Terminos insuper plurimos explicant, in uita civili cognitu utiles, de thalami legibus, de librorum procreatione, institutione, cura, oeconomicas uirtutes, blandimenta et myrothecia amoris non ficti, fidem coniugalem, oscula, salutationes, concordiam, sine quibus uitae haec omnis, nostra miseriarum officina est, et mille aerumnarum Illias. Septima est, Sapientiam esse primo-

primorum principiorum cognitionem et conclusiones suas ex illis proxime deducere, quod et coniuges probe nouimus. Nam, inter iuris naturae principia sunt, coniunctio ac dilectio mutua, et ex his praemissis ac principiis, per se notis, elicimus pro conclusionibus pulcherrimam progeniem, filios filiasque, quae ex illis sequuntur proxime et ἀμέσως, et quidem, non casu aut fortuito, uel κατὰ συμβεβηκός, uerum necessario, ex ἀνάγκης, διὰ τῶν τιθέντων, propter illa, quae posita sunt. Octaua est, Sapientiam esse in nobilissima animae rationalis parte, quae ἐπιστημονική appellatur. At in hac ipsa quoque residet sapientia coniugalis. P. ¶ Consului super hac re interpretes Aristotelis, Auerroen, Scotum, Thomam, Iauellum, Soncinatem, Occamum, Durandum, Fonsecam, sed, ne hilum de istis. B. Non cogitant de coniugiis Scholastici, quotquot continentiae se uoto obstrinxerunt. Subtiles et acuti magis esse malunt, quam, humano generi utiles, qui acumina sectantur, plana et communi uia incedere nesciunt, inter nubes gradiuntur, et, quae ante pedes sunt, negligunt. Sed, ne sapientiam suggilles, quod a prudentia multum dissideat, hoc etiam euincam, prudentissimos esse coniuges, et, matrimonii exactissimam prudentiae civilis ideam contineri. Prudentiam definit philosophus, sexto Ethic. ad Nicomachum, habitum consultandi et agendi ea, quae homini, in uniuersa uita, sunt bona et mala. Est ergo eadem prudentiae et

matrimonii arena. Nec enim optabilius homi-  
 ni bonum euenire potest, quam uxor bona,  
 nec malum detestabilius praua coniuge. Pru-  
 dentia circa singularia occupatur et τὰ ἑκαστα,  
 et in coniugijs Caius Caiam, Titius Sempro-  
 niam, amat. Prudentia a uirtute separari nescit,  
 neque bonorum nuptiae. Prudentiae quasi so-  
 ciae et administrae sunt, ἐμβουλία, consilii re-  
 ctitudo, ἡ σύνεσις, ingenii perspicacitas, ἡ γνώ-  
 μη, sententia, ἡ δεινότης, naturalis solertia,  
 μνήμη, memoria et ἐμπειρία, experientia, quas  
 omnes in coniugibus reperias. Etenim consul-  
 tant tecte et deliberant, cum matrimonii finem  
 iis medijs consequi student, quae honesta, iu-  
 cunda et utilia, sunt. Non deest ingenii perspi-  
 cacitas, in obseruandis futurae coniugis moribus,  
 opibus, forma, ualitudine, familia, amicis.  
 Adhibent quoque γνώμην, hoc est, recte de  
 alterius dictis factisque alter iudicat, quae per  
 ignorantiam, aut animi impotentiam, sunt per-  
 peram, benigne interpretantur, et ignoscunt  
 mutuum, εὐγνώμονες et συγγνωμονικοί. Soler-  
 tes quoque sunt, cum rationes cogitant, quibus  
 alere honeste familiam et augere res suas pos-  
 sint, et proscribere longe, bonae mentis pesti-  
 mam sororem, πενίαν. Memoria ualent, quia,  
 languescere amoris impetus, non inuiti agnoscunt,  
 si ad memoriam anteacti temporis respicere li-  
 beat. Denique experientia discunt, amare et-  
 iam posse, quibus labor est, ἀφροδιάζεν. P.  
 Nesciebam, me prudentiae omnes partes explere,  
 cum

cum maritalem torum scanderem. Non uenie-  
 bant tunc in mentem famulae, quas enumerasti.  
 B. Magna agunt et seculo digna, qui de probae  
 coniugis amplexu serio cogitant, et sicuti coe-  
 lum nescit motus sui finem ordinemque, ex quo  
 pendunt inferiora haec, ita mortalium plerique  
 assuescimus coniugi, ignari tam clari operis, pul-  
 chrique bonique. P. Vellem plura eius generis  
 ex te audire. Istud enim philosophandi genus  
 minus tetricum mihi uidetur et illepidum. B.  
 Cum in Misogamos incido, aut illos, qui, me,  
 sapientiae studiosum, ualedicere nuptiis debere,  
 uehementer urgent, hoc contra urgere soleo,  
 nullum esse in tota philosophia uocabulum,  
 quod non coniugio *ἀνάλογον* sit, et sponsi spon-  
 saeque indolem ac genium spiret, ut, uxorem  
 nulli deberi, iurare ausim, praequam philoso-  
 pho. P. *Ἐξάουδα, μὴ κεύθε νόω, ἵνα ἴδομεν  
 ἀμφω.* B. Ordinar a philosophia theoretica, et  
 primum a naturali scientia, quam Aristoteles ex-  
 equitur Auscultationum libris, et illis, de Coe-  
 lo, ac Generatione et Corruptione, uti et de Me-  
 teoris, et libris, de Anima, et paruis naturalibus.  
 In libris Acroamaticis utramque paginam faci-  
 unt, materia, forma, natura, efficiens, finis, for-  
 tuna, casus, motus, quies, locus, tempus, quan-  
 titas. Materiam, ait, formam appetere, sed uti  
 uirum appetit femina. Ergo femina materiae  
 similis, uir formae, et merito. Nam materiae  
 est, parere ex se formam, formae, materiam re-  
 stringere ad certam speciem, ut uel hominis,  
 uel

uel equi, uel arboris, fit materies. Ad eundem modum feminae est, parere, uiri, eandem sibi uendicare, ut propriam. Nec parturit materia formam, nisi disposita et subacta prius, neque prolem mulier edit, nisi, postquam *matri longa nouem tulerint fastidia menses*. Duas formas simul eidem materiae inesse posse, negant Peripatetici, duos maritos eidem coniugi iungi, uetant theologi. Causa efficiens est, a qua primum est mutationis principium, sic et a uiro. Nec enim unquam mater esse sustinet uxor, nisi, mutatam se a uiro, sentiat. Natura causa est motus et quietis, eius, in quo inest, etiam amor. Natura omnis finem intendit. Nec enim casu res humanae uoluuntur et fortuito. Quos fines intendat coniux uterque, neuter ignorat. Motus ad terminum tendit, uti coniugum societas ad prolis generationem. Motus fit successiue, nec coniugia momento conficiuntur, moras nectente uel prudentia, uel pertinacia. In motu sufficiunt termini duo, in matrimonio mas et femina totum coniugium sunt. Magnum in physicis momentum loci, nec minus in amore. Nouerat hoc Dido, cum, coniugii spe, speluncam eandem, cum Troiano duce, subiret. Tempora praeterito, praesenti, futuro, distinguuntur, coniuges praesenti maxime gaudent. Odit uacuum natura, et coniugibus dua uacua exosa ualde, uxor et loculi, licet uacuam a rixis et zelotypia domum unice cupiant. Non datur infinitum in natura, nec in infinitum abeunt oscula et amplexus,



plexus, habet et hic natura suum maximum, habet suum minimum. Quid de coelo dicam, nisi amoris esse theatrum et forma, ambit orbis orbem, uti maritus maritam. Mouentur perpetuo, quietis expertes, est et sua coniugibus inquietudo, ut perpetuum quoque mobile dici possint. Mouent haec inferiora coeli, et in nos agunt, prout familiam omnem mouent et moderantur pater et materfamilias. Coelum planetas habet uagos, familia famulos famulasque, accedentes modo, modo abeuntes. Coelo fixae sunt stellae, quales liberi sunt, parentum immobile peculium. Non omnia astra amica coniugibus, quaedam felicitatis, quaedam infelicitatis, causae sunt, et liberorum alios in parentum solatium subsidiumque succrescere uideas, quosdam degeneres et eorundem dedecora et uomicas. Coelorum mira est concordia, mira quoque coniugum, non dissoluitur aetherea compages, nec dissolubilis est haec amantium. In elementis qualitates agnoscimus, calorem, frigus, humiditatem et siccitatem, quae ad thalami quoque laudem faciunt. Incalescere eum, subinde exigit res, et refrigerescere. Siccis omnia dura proposuit Deus, teste Flacco, at, humido suas deberi partes, docet fabula Veneris e spuma maris ortae. Vnum elementum altero calidius est, uel frigidius, eadem coniugum fors. Longe ab igne distat terra, multum, a sene amatore, amator iuuenis. Gaudet natura elementorum mixtione, matrimonium maris et feminae.

Quod

Quod ex elementorum concursu nascitur, aliud ab elementis est, quod ex sponzorum nascitur unione, a genitoribus quoque suis numero distinguitur. Neque peragitur mixtio sine mutua elementorum reactione et repassione, quae an uera quoque sint in coniugali amantium permutatione, iudicent coniugati. Meteora imperfecta naturae corpora sunt, sicut abortus coniugii. Habet doctrina illa fumos suos et uapores, euanescentes facile, uti et parturientibus foetus sunt subuentanei, nec sibi constantes. Ignis, aspiciamus, subito nasci in aere et denasci, tales flammae sunt, quae male iunctos accendunt. Ignis sunt, quos fatuos uocamus, qualibus quoque uruntur, qui imprudenter amant. Meteororum ignitorum alia dracones sunt, alia lanceae ardentes, alia stellae decedentes, uel fulmina et fulgura, et coniugiis pluribus inest ueneni malique moris multum, pungunt se mutuo maledictis, debacchantur et fulminant ira correpti animi, primaque matrimonii fax odiis diuortiiisque extinguitur. Iris multicolor uultum mutat facile, nec diuturna est, ut diutinae non sunt amantium irae, sed amoris redintegratio. Metalla, et materiam auaritiae humanae, aurum argentumque, alte defodit in terrae uisceribus diuina prouidentia, nec inuenit illa pallidus fossor, nisi praeunte uirgula diuina. Difficilis quoque inuentu est prudens et bene compositis moribus uxor, nec de fide eius ac probitate certo quicquam tibi persuaseris, nisi afflictio-

quid

num igne probatus. Iam quid simile magis her-  
 bis, floribusque et hortis ac uiridariis, matrimonii  
 dulcissima contemplatione, quae gratior, quam  
 amoris, fidei, beneuolentiae, pacis, fragrantia.  
 Non ne mare et femina distinguuntur herbae,  
 non ne suis herbulis gaudet amans, quales sunt  
 amaracus, amarantus, flos amoris, anemone,  
 apium palustre, barba Aaronis, eruca, satyri-  
 on, euphrasia, carduus Mariae, umbilicus Ve-  
 neris, aliaeque plures. Auium et amoris tanta  
 cognatio est, ut alas ab iis suas commodauerit  
 Cupido, gaudet celeritate amor, et moras odit  
 ut et uolatile quoduis. In mediis aquis exarde-  
 scere squamigerum genus, dudum Lucretius ce-  
 cinnit, at quanta res anima est, qua uiuimus, et  
 non ne poetis procisque hoc omnibus familiare,  
 animulae, uitaeque et corculi, nominibus insi-  
 gnire, quam diligas? Sine anima trunci fumus  
 lapidesque, etiam sine amore. Nutrit illa, au-  
 get et generat, itidem et amor alimenta suffi-  
 cit amantium desideriiis, suis ea incrementis ad-  
 auget, donec generet. Anima sentimus et mo-  
 uemur. Ab ea uisus est, auditus, gustus, odo-  
 ratus, tactus, quibus sensibus omnibus singulis-  
 que ualent coniugia. Lyncei sunt oculi nuptis,  
 et solicite cauent, ne ad Danaen, uel Ledam,  
 uel Europam, deflectat Iupiter. Auscultant at-  
 tente, et aures mille arriunt, etiam, blandae o-  
 rationis poppyfimo demulceri, amant, afficiuntur  
 suauitate, ab amarulentis alieni, olfaciunt e lon-  
 gino, quid fores agat absens alter. Sine tactu  
 frigent,

frigent, torpent, stupent. Meminere basiorum, quae Penelopae epistolam istam ad lentum Ithacum dictauere. Imaginationis ui abrepti, aequora ipsa tranant, in abeuntem Aeneam, uel Thesea, excandescunt, nec carent sensu communi, cum singulorum sensuum uoluptatibus fruuntur. Quot affectibus ducimur, tot coniugio famulis gratificamur, inter illos sunt, amor, desiderium, spes, gaudium, quos, melior digniorque nostri pars, ratio coercet et moderatur. P. Sed, quomodo Metaphysicam amoribus applicare possis, scire desidero. Illa enim tota in immaterialitate, hoc est, exsucco et exanguis argumento, uersatur, quale odit amor cane peius et angue. B. Metaphysicus de Vnitate, Veritate, Bonitate, rerum omnium, disserit. At haec ipsa unice deperit amor nuptialis. Vnam amat, cum honestus esse uult, plures, cum nequam. Veris uirtutibus praeditam ueneratus, non specie talem, ueram formam pulchritudinemque laudat, non uultus emptos fucatosque. Et, licet bonum illud, quod cum ente conuertitur, minus moretur, eam tamen ualde aestimat bonitatem, quam coniugis propriam esse, oportet. Angelis tota intenta est scientia ista, et daemonibus bonis malisque, at haec coniugum quotidiana uocabula sunt. Cum *ὑποκριτικῶς* loqui amant, *εὐδαίμονες* sunt, cum *ὀργίλως*, *κακοδαίμονες* et Harpyiae. In Mathesi, ut de ea aliquid quoque dicam, puncta sunt inchoantia, finientia, copulantia, interualla, lineae coincidentes, parallelae, circuli,

circuli, cubi, aliaeque figurae complures, Sunt coniugis exordia quoque sua, laetiora plurimum, fines uarii et copulae, habent sua interualla, non dilucida solum, sed et obscura, incidentes lineas minus auersantur, rotundam in amore figuram, et officiorum circulum, etiam cubicam immobilemque fidem, esse, exoptant. Arithmeticam callent optime, impare numero gaudent, at tunc pari, cum paribus malis premuntur, paribus bonis eriguntur. Verum Catullo, ad Lesbiam scribenti, istos numeros inuidet, *Dami basia mille, deinde centum, dein mille altera etc.* Cum Opticis, reflexum amoris radium efficaciorum, arbitrantur, simpliciter recto. P. In Theoreticis, uideo, non deesse tibi allusionum materiem. Sed quid practicae philosophiae, cuius est, formare uirum bonum, cum amoribus et thalamo negotii? B. Multum sane. Singulis enim uirtutibus luculentum suppeditant argumentum coniugum officia. P. Hoc me doce. B. Nonne utramque paginam in Ethicis faciunt honestatis, uoluptatis, utilitatis, nomina, at haec ipsa characteres sunt et insignia socialis lecti. Honestatem tolle, amor luxuria est, uoluptatem tolle, amor frigus est et merum gelu, utilitatem tolle, amor oleum et operam perdidit. Nemo uir bonus nascitur, nemo coniux. Virtus eam eligentis est, et eius, qui recte agere instituit, coniux quoque eius est, qui delibato amat. Inuita actio nec laudem, nec uituperium, meretur, nec laudabile, inuitos matrimo-

D

nio

nio necti. Spontaneum quodcunque liberum-  
que, proemio poenae dignum, maxime in  
deligenda coniuge. Fortitudo circa res arduas  
difficilesque uersatur, nec minus uirgo rem ar-  
duam aggreditur, cum uiro consuescens. Ita  
Maro interpretatur

*Audetque uiris concurrere uirgo.*

Profecto, nisi moderate se circa uoluptates ha-  
beant tori partes, conclamatum est, et, *cum*  
*lapidosa chiragra*

*Fregerit articulos, uitam ingemuere*  
*relictam.*

Iustitiae officium est, unicuique suum dare, nec  
debitis thalamo officii fraudare se mutuo. Ad  
haec patientiam, concordiae et aequitatis studium,  
castitatem, uerecundiam, fidem et urbanitatem,  
nullibi requiras magis, quam in coniugio. Pulchrum  
est, nunquam cum uxore aut marito rediisse in gratiam,  
pulchrum, morositatem Xantippae superare Socratica comitate  
uel seueritate. Pulchrum, si, quanto blanditiis plus indulget  
uir, tanto uxor sit continentior modestiorque. Pulchrum,  
si erubescere possit uxor, ad mariti effeminatam sapientiam.  
Pulchrum, cum se Placidias praestant, et Creusas, et Artemisias.  
Quod si oeconomiam respicias, quae illa, sine marito et uxore?  
Ille rei familiari prospicit, et, id sibi negotii dari, patitur,  
ut culina et fumum uideat, haec maritum, fractum laboribus  
uel studiis, alio labore fouet, lenit, reficit, mediant

tanti

tanti attentius risum mouet, libellos e manibus osculo extorquet, lucubrationes sibi potius, quam libris, deberi, ait, ad prandium uocat dulcibus epithetis, ad coenam dulcioribus, in mensa, cibi capiendi oblito, cibum in os ingerit, ut Melissa fecit Chrysippo suo, aegrum solatur, lectulum e tomento infernit, focum suppedaneum frigenti offert, aestuantem strophio de-tergit, supellectilem curat, purgat, adornat, nitori studet mariti et liberorum, ut sine illa domus sit solitudo mera, carcer unius, melancholiae stabulum, querelarum officina, suspiriorum et desideriorum tristissima scena. Expende iam, doctissime Petiti, Num Philosopho ducenda sit uxor, illa ipsa qui nouit, docet, agit, et in usus suos, cum res exigit, conuertit. Toto coelo errant, qui hominibus ineptis et semifatuis uxores indulgent, quibus abundantur *δι ἀγνοίας*, sapientioribus uero, quique coniugii leges omnes perspectas habent, inuident. Quod si haec, quae dixi, nondum persuadent, quod intendo, mutabo dicendi genus, et, solum amorem conjugalem sapere, ueramque sapientiam esse, probabo uersibus. Inest quippe carminibus uis quaedam incantandi immutandique animos, quam non habet soluta oratio. P. Age, incanta me, quantum potes, non rumpar. Nec enim anguis sum, non obdubabo aures aduersus te incantatorem, et, si forte contingat, ut tuis cedam carminibus, erit minus execrabilis illa cantillatio, quae me amatorem faciet. B. Ludi-

*Ludimus humanum genus, et dum sidera uoluit  
 Iupiter, et uariis radiat sub uultibus aether,  
 In uarios una lusum uitaeque lepores  
 Cum superis rapimur, uersat se maxima mundi  
 Machina et ingentem miscet sapientia rebus  
 Stultitiam, frangitque aliquo sua seria ludo.  
 Despit, Eoa quisquis de gente lapillos  
 Colligit, et tumidum mox sorbet naufragus aequor,  
 Securus tutusque domi. Tu despis, audax  
 Miles, et hunc uitae paucis diuendis honorem,  
 Assibus et stolidis impendis regibus arma.  
 Despit heroum soboles titulumque superbae  
 Nobilitatis emit, quam uirtus, nescia fuci,  
 Debebat meruisse sibi, qui celsa frequentas  
 Atria, adulator, magnis discrimina quaeris  
 Porticibus, totaque miser rideris ab aula.  
 Tu quoque, qui calidae scrutaris comminus Aetnae  
 Pabula, terribilesque focos, abstrusaque rerum  
 Principia, et mundi causas, deducis ab alto,  
 Despis, et stulta dictas incesta cathedra,  
 Ignarusque tui, geminos edisseris axes.  
 Est, qui, uentosae uenatus murmura plebis,  
 Et ieiuna leui pascit praecordia fumo,  
 Narrator, uanisque forum sermonibus implet,  
 Et Finnos Gothosque crepat, cui causa laborat,  
 Facundas redimit uoces, pauperque patronum  
 Aspicit, et uacuis oculis sua rura reuist.  
 Ille, cui infido pendet spes omnis ab hamo,  
 Dum sedet, aeternumque sedet, quam despit excors,  
 Quam patiens capta solatus prandia perca,  
 Pisciculiue iecur, non tacta bile, trucidat?*

Et



Et tu, qui cursu, praeceps uenator, anbelo  
 Per campos graderis, pauidae uestigia damae  
 Pone legis, currisque, fugis refugisque, misellus  
 Quo lepus aut te cerua uocat, cum principe uilis  
 Bestia decurrit, sequiturque insana priorem  
 Maiestas augusta feram, nugamur ubique,  
 Et stolidi sine fine sumus, mordaxque Menippus  
 Quisquilias nostras recitat, clamemus, amici,  
 Te facimus, mens stulta, Deum, terrisque locamus.

Has inter curas et uasti ludicra mundi,  
 Solus amor Cyprisque sapit, tollitque serenum,  
 Stultitia ringente, caput. Non despicit ille,  
 Quisquis in optatae gremium descendit amicae,  
 Et sponsae placuisse studet. Sapientia, credas,  
 Iudice me, castis Veneris splendet in uhis,  
 Atque, unum praeter, cuncti insanimus amorem.  
 Hoc sine delirant alii, uel languida luctu  
 Membra trahunt, taedet coeli conuexa tueri,  
 Tactus hebet, nulla recreantur uirgine uultus.  
 Mensa silet, frigent omnes sine coniuge nerui,  
 Deficimus miseri, nescit sua gaudia lectus,  
 Ignauosque lares uacuosque perire penates,  
 Ocius aspiciamus, mortique simillima uita est.  
 Ipsa Deum socio gaudet sapientia lecto,  
 Et senior Saturnus amat, cum compare ludit  
 Mulciber, et, doctam genuit qui Pallada, magnus  
 Iupiter, multum querula Iunone, lepores  
 Inuenit, et Paphiis castigat fulmina curis.  
 Nerea formosum complectitur Amphitrite,  
 Inchyta Neptunum Tethys, coelestibus ut iam  
 Turgeat exemplis thalamus, non illa Pelasgos

Dedecuit fors laeta senes, magnique Platonis  
 Atria, quo quondam Graii stupuere magistro.  
 Qui male compositis mores dictauit Athenis,  
 Xantippen sapiens tetigit, legesque seueras,  
 Dogmataque, umbrosos inter discussa recessus,  
 Diluit amplexu, nec, qui uesana Quiritum  
 Crimina perstrinxit, censor fastidiit uelum  
 Basolum, facilesque sibi procedere noctes.  
 Quam sapit, imperio totum qui subdidit orbem,  
 Rector amor, cui regales diademata prona  
 Subdunt fronte apices, qui saeui dura leonis  
 Corda domat, mollitque suis adamantina uerbis  
 Pectora, et Eurydicen stygiis reuocauit ab umbris.  
 Iam loquitur facundus amor, uocesque disertas  
 Virginibus recitat, per mille pericula solers  
 Impauidum molitur iter, fortique dolores  
 Mente premit, iam sacra pius delubra salutat,  
 Et totum sonat ore Deum, iam munera larga  
 Distribuit lucrosa manus, blandissima fatur  
 Comis amor, festiuus amor, quin tempora captat  
 Commoda, et in uarias, una pro uirgine, formas  
 Se torquet uersutus amor, nunc tristior illi  
 Frons contracta riget, nunc exporrecta iocatur,  
 Flet, ridet, uigilansque omni sua lumina parte  
 Circumfert, sperat, metuit, non odit et odit,  
 Cum ratione tamen. sic cuncti, Cypride in una,  
 Virtutum coiere chori, et uestitus honesto  
 Fulget amor, dudum sapiens ab amoribus arsit  
 Phoebus, et in sola sapiunt Cithereide uates,  
 Vates, cura Deum, spernit sapientia fraudes,

Sperni

*Spernit amor, tacitae per amica silentia noctis  
 Urget opus, nulloque sagax se teste tuetur.  
 Heu, quantum nescis, sapiens, quam plurima tecum  
 Ignorat quoque caecus amor, quam gaudet amari  
 Vir sapiens et lenis amor, metuantque timeri,  
 Nec cuiuis placuisse student, quam suauiter idem  
 Dormit amor, sapiensque, trucis nec curat Iberi  
 Bella, nec Arctoo circumdata moenia Moscho!  
 Tempora componit sapiens uentura priori.  
 Prospera fert modice, nec rebus frangitur arctis.  
 Sic generosus amor, post primae damna repulsae,  
 Ambulat, et credit, nondum sapuisse puellam.  
 Semper amat sapiens medio tutissimus ire,  
 Nec medio deflectit amor, moderata probatur  
 Ambobus prudensque quies. Sapientia terris  
 Praesidet et fasces domino submittit amori.*

P. Iam dialogistam, iam poetam, agis, et in omnes te formas uersas, ut philosopho obtrudas uxorem. Verum, sine, ut me exonerem iis, quae parum ad uxoris commendationem faciunt, et, quae in ore esse solent Sophroniscis et seuerioribus frontibus. Turbulentas esse, aiunt, feminas, sapientem, contra, placidum lenemque, illas impetu potius, quam ratione, agi, hunc prudentia omnia moderari, illas procelloso et irato mari, hunc tranquillo similem. B. Vis ergo homines imperitos, ab humanitatis studiis alienos, quibus anima pro sale est, cucumeres, cucurbitas et pepones, necti turbulentis, ut reddantur turbulentiores. Non ne turbulentam citius mitigauerit sapiens, quam effrons et amens, et Da-

nus aliquis, aut turbo? An putas, solis philosophis  
turbulentas obtingere, et communi sensu desti-  
tutas? Non arbitror, et, si nubendum Clytaemne-  
stris, Faustinis, Rosimundis, Messalinis, satius  
profecto, eas nubere Socrati, et Platoni, et Ari-  
stoteli, quam iracundo Agamemnoni, aut fatuo  
Claudio, aut furioso Oresti. At, quid uetat,  
sapientem sapienti iungi et minus turbulentae?  
Non ne uiris sapientiores fuere uxores plurimae?  
Non ne ab uxoribus optima consilia accepere Im-  
peratores principesque? Antiqui poetae uersus  
sunt,

*Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres,  
Illa uirago uiri.*

Melancholicos ingeniosos esse, ait Aristoteles,  
et uxorios. Ergo optime, citra sapientiae ingeni-  
ique detrimentum, cum coniuge se maritabit sa-  
piens. P. Hoc urgent, philosophorum esse, al-  
ta sapere, nec demittere se ad imbellem et se-  
quiorem sexum, sapientis esse, uoluptates con-  
temnere, nec affici contactu coniugis, indignum  
esse metaphysico, ad Cypridis sinum respicere,  
indignum astrologo, haerere in intermundiis  
Epicuti, physici esse, contemplari illas res, in  
quibus uulgius stultitiam suam explicat, mathe-  
matici esse, somniare circa quantitatem, non, ui-  
giles traducere noctes, ea libidine, quae nobis  
cum belluis communis est. B. Irem in uulgi  
sententiam pedibus, si philosophi sine neruis am-  
bularent, si natura non uiros fecisset, si nec e-  
dendi,

dendi, nec bibendi, supra, quam ad nutritionem  
 satis est, artem nossent, si philosophi esse pos-  
 sent, et non animal non uiuens. Nunc, cum  
 talem fecerit Zenonem natura, qualem fecit Ther-  
 siten, talem Cratem, qualem Coroebum, iniuri-  
 um ac inhumanum prorsus fuerit, illos ab  
 amplexibus arcere, haec monstra admittere. Re-  
 ctius Plato censuit, qui, in libris de Repub.,  
 mulierum communionem non omnino promi-  
 scuum esse, uoluit, sed, optimis prudentissimisque  
 eas sociari, ne degeneres nascerentur. P. Ne-  
 gant, sapientem uacare posse coniugi, alio abripi  
 eruditorum mentes. B. Quasi uero uacandum  
 sit coniugi indefinenter, non est Sisyphius iste  
 labor, nec uultur est maritus, cui aeternum incu-  
 bandum sit Promethei exitis. Pro uersibus in-  
 tercalaribus sunt coniugum blanditiae, et pro  
 choris, qui medios actus intercinunt. Immo,  
 nemo rectius uacare potest coniugi, quam phi-  
 losophus, commendat uoluptates rarior usus,  
 satietas, contra, contemptum parit, nec iocatur  
 sapiens, nisi, cum tempestiuum est, nec blan-  
 ditur, nisi, cum in orgasmo, et, quia non  
 nisi honestas uoluptates expetit, certiolem ro-  
 bustioremque gignit prolem. Quare rationem  
 in consilium adhibet, etiam tunc, cum nihil mi-  
 nus est, quam metaphysicus et contemplator.  
 Certe Socrati, oraculo Apollinis sapientissimo,  
 uxores duae fuerunt, nec tamen desuit propter  
 ea *ἀεροβατέιν, καὶ τὸν ἥλιον εἰσορᾶν, per*  
*nubes ambulare et solem intueri.* Etenim

D s

non

Etenim non laudauerim illos sapientes, qui uxori non, nisi rogati, respondent, qui egregias matrum animas culinae curis mancipant, qui museis suis se abscondunt, ut cochleae testis, in tempesta nocte atramentum bibere malunt, quam cum tenera coniuge *διαλέγεσθαι*, stylo codicillos, sub ipsis peristromatis, importuna diligentia, fodiunt, et pulpita alibi, quam inter bibliothecas, inueniunt. Tales, ego, in muliebri synodo causam dicere iuberem, et illius cadere, uel stare, sententia. P. Cicero, rogatus ab Hirtio, ut, post Terentiae repudium, sororem suam duceret, negauit, dicens, non posse se simul et uxori, et philosophiae, operam dare. B. Dixit hoc forte Arpinas noster, post repudiatam Terentiam, cum satur iam esset uoluptatum, et ab alia Terentia sibi timeret, et, si dixit, non constitit sibi Cicero. Nam senex iuenculam, et uix nubilem, duxit. P. Illud quoque obiciunt, fatuos ut plurimum nasci sapientibus. Dum enim perpetuo animum meditationibus obstringunt, auocant ab officio, quod coniugi debetur, attentionem animique praesentiam. B. Nugae. Quis sapientiae filiam unquam dixerit esse fatuitatem, quis, sapientem alia cogitare, praesumat, cum humani generis commodis et incolumitati studet? Naturae uitium est fatuitas, non doctrinae, accidunt sapientibus pediculi, sed non a sapientia. P. At mala plurima incommodaque manent coniuges, quae molestiam facessunt sapienti. B. Manent ea etiam insipientem,

entem, et magis, quia, quae hic mala interpretatur, ridet sapiens et contemnit, aut, sapientiae praeceptis instructus, superat. Aliter sensit summus in republica Romana uir, qui, in concione ad populum, haec dixit, Si absque mulieribus esse possemus, Quirites, magna molestia careremus, nunc uero, cum ita natura sit comparatum, ut nec cum illis fatis commode, et sine illis nullo modo, uiuere possimus, potius est necessitati, quam breui uoluptati, concedendum. P. At Erasmus, magni nominis uir, in quo doctrina mite ac come inuenit ingenium, in suo Stultitiae Encomio, inter infinitas Moriae formas speciesque, primam refert coniugii. B. Hoc te nescire, nolim, Erasmus, illo libello Stultitiae elogia insignire plurima, quae reapse stolidae, delirae fatuaeque, sunt. Deinde, eandem stultitiam, ut stulta, depraedicare res sapientissimas grauissimasque, immo sanctissimas, quae pro stultis habentur aliorum minus sapientium iudicio. Inter has coniugium est, uti et tota euangelica doctrina, quam, ut fatuam, exagitat Moria, quia sapientiam Dei stultitiam credit mundus et infidelium quisque. P. Amare et sapere, uix Deo conceditur. B. Hyperbolicum hoc non sapit, qui inordinate amat, nec desipit, qui honestis amoribus indulget. P. Lucianus fingit Musas Pallademque innuptas, studiis occupatissimas, quaeque a Cupidine sagittis laedi nequeant. B. Non diffiteor, Musae, Pallas, exanguis deae sunt et rationis entia, quae, uti

ἔσῃτον ἔδρασι, καὶ ἔ πίνεσι ἀβοπα οἶνον, ita  
 amare nesciunt. Cum de Pallade loqueris,  
 de prudentia et sapientia loqueris in abstracto,  
 quae fane uirum nescit. Sed, da mihi pruden-  
 tem aliquam doctamque, bene habitam, et to-  
 rosam, audebis dicere, illam uulnerari non pos-  
 se? Sane docta sapiensque fuit Sappho, sed lae-  
 sa marito. Sapiens fuit Aspasia, mulier Mile-  
 sia, philosophiae studiis innutrita, uerum magni  
 Periclis magistra et uxor. Scripsit in Astrono-  
 miam Hypatia Alexandrina, Theonis, geome-  
 trae, filia, sed tacta Isidoro, philosopho. Are-  
 te, Aristippi mater, publice Athenis docuit,  
 sed et uulnerari illa a Cupidine potuit, cum A-  
 ristippum genuerit. Non ne sapiens Cornelia,  
 Africani uxor, et Claudia, Statii Papirii coniux,  
 et Polla, Lucano nupta? Possent infinitas conge-  
 rere Pallades et Musas, capaces muliebris patien-  
 tiae, quarum coniugiis splendorem decusque  
 ingens attulit sapientiae studium. P. Non du-  
 xere uxorem sapientum plurimi. B. Recte di-  
 cis, plurimi, cum plures et sapientiores duxerint.  
 Quid, quod sapientissimi aeternum uicturis scri-  
 ptis amorem coniugalem commendauerint. Pla-  
 to, in Symposio suo, non solum amoris naturam  
 penitissime inuestigat, uerum, ut diuinum aliquod  
 numen, in coelum extollit. In oeconomicis, so-  
 cietatem coniugalem ciuili praemittit Stagirita,  
 et praeceptis informat. In Xenophontis Sympo-  
 sio, tanta facundia, de amoris laudibus, uerba  
 facit Socrates, ut mariti omnes, eo sermone in-  
 flam-



flammati, ad uxorū amplexus, citatis equis, a-  
uolauerint, qui autem uxores non duxissent,  
quam primum se ducturos esse, iurauerint. Et,  
quam profecto eruditus ille est Plutarchi Com-  
mentarius, de Mulierum Virtutibus, et Matri-  
monii Forma Legibusque. P. Oneras me pro-  
bationibus et rationum plaustris, et possem iis  
permoueri, si praeires tu, professione philoso-  
phus. Pro uxoribus et coniugio uerba facis  
nullibi non, et stas intra uerba, eodem uitae  
statu, quod facit, ut dubitem, an credas pror-  
sus, quae tanta contentione disputasti. B. De-  
fendi ego, licere Philosopho, uxorem ducere,  
sed uide, quanta sit emphasis in philosophi  
uocabulo. Si talis sum, expendendum, qua-  
lem ducturus sim, an uetulam et quinquagenari-  
am, an unae adhuc periodis obnoxiam, an do-  
tatam, an oculis uacuam, an disertam, an si-  
lentiarum, an pulchram, an uxoriae formae, an,  
quae rhythmos scribere norit et pingere, et ca-  
nere, et nere, an, quae has artes nesciat, an pro-  
ceriorem me, an breuiorem, an macilentam,  
an bene curata cute pinguem, an ancillis impe-  
rantem, an, cui ancillae imperant, an uiduam,  
an uirginem, si uiduam, an bis, an semel, ui-  
duam, an improlem, an cinctam liberorum co-  
rona. De his dum delibero, P., quod philo-  
sophorum est, ruit hora, tacitisque senescimus  
annis. Militauimus ambo, si ita loqui fas, non  
sine gloria, nec peccauerim ego, nec peccaue-  
ris ualde tu, si *Arma defunctumque bello Barbitor*

*hoc paries habebit.* P. Quia, ab uniuersali sermone, ad te et me descendis, abrumpam disputationis nostrae filum. Nec enim attinet, curiosos lectores scire, quid mihi, uel tibi, illa in aurem dixerit, aut, quid Iupiter fabulatus sit cum Iunone. B. Vale, et Ultraiectinos, omnes non misogamos, saluta.

DE  
MATRIMONIO MEDICI

**M**atrimonium, non, quod in sanctissimam hanc hominum societatem, aut in suauissimum sequiorem sexum, iniuriosus esse uelim, sed, quod soli medico, propter eam, quam feminae constituunt, maximam aegrotantium partem, tum etiam, propter uanissimam uulgi opinionem, quam de Medico, non uxorato, sibi concepere, plane necessitatis lege quadam cogente, incumbat, prius, quam alii, si existimationem aucupari, occasione uero, ex alterutra tantum parte apprehensibili, inseruire, uelit, durum hoc, an suaue, matrimonii iugum subeat, miseris medici annumerare debui. Elegans, sed inuectiuum, legitur Automedontis Epigramma, apud Coel. Rhodigin., Antiq. Lect. XXI, 14, Boselium in Amaltheo Politic. Med. Appar. II, c. II, Synt. XII, quod, pace tua, L. B., huc inserere liceat.

Ευδαίμων πρῶτον μὲν, ὁ μηδὲν μηδὲν ὀφείλων.

Ἔτα δ', ὁ μὴ γήμας, τὸ τρίτον, ἄστις ἄπαις.

Ἦν δὲ μανεῖς γήμη τις, ἔχει χαρὰν, ἣν κατορῶσζη

Εὐθύς τὴν γαμετὴν, προῖκα λαβὼν μεγάλην,  
Ταῦτ' εἰδὼς, σοφὸς ἴδι, μάτην δ' Ἐπίκρουον ἔμσον

Πῶ τὸ κενόν, ζῆτεῖν, καὶ τινες ἀμονάδες.

*Felix primum*, ait autor, qui nil cuiquam debet, mox uxoris expers, tertio, qui sine liberis est. Quod si furens quis duxerit uxorem, gratiam habet, si humanit statim nuptam, postquam dotem acceperit uberem. Haec noscens, sapiens esto, frustra que Epicurum finito, ubi uacuum, quaerere, et quae Monades. Quod si, altius expatiari, nobis liceat, non minimam turbam adducere possemus eorum, qui in hos γυναιχοκροατῆμένους acriter, saepe etiam malitiose, inuehant. Augustinus, in libro singulari, *Clericorum feminae*, inquit, *societas infesta est, foedere suo magnas molestias praestat, et, cui adhaeserit, contra fas insanabilem ingerit plagam.* De carbonibus scintillae dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspidēs sibilant, et mulier fundit concupiscentiae malum. Augustinus, in Soliloqu., c. X, *Nil, inquit, esse, sentio, quod magis ex arce deiciat animum uirilem, quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest.* Chrysostomus, in Homil. XXXII, in uerba Matthaei, non expedit, nubere, *Mulier*, ait, *est amicitiae inimica, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis*

*bilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum.* Menander, apud Stobaeum, Serm. LXVII, *Malum necessarium* feminam uocat. Hesiodus ait, *Iouem dedisse uiris mulieres, difficultiorum laborum socias, sed, ut fucos apibus.* Simonides, Graecus poeta et scriptor lyricus, cuius Fragmenta apud Halicarnasseum, Clem. Alexandrinum, Stobaeum, Athenaeum, Plutarchum, extant, iuxta Olaum Borichium, in Differt. de Poetis, Diff. I, §. LIIX, p. XXIV, brutis ea annumerat. Aliis enim affingit uulpinam, aliis asininam, suillam quibusdam, aut equinam, aut caninam, similesque, prout e peculiari carmine patet, quod his addere, nimis longum foret. Si censoria Petrarchae uirgula alicuius momenti esset, eisdem periculis ii subiecti forent, qui se coniugio committunt, quam, qui nauigando mari se tradunt. Legatur autor, de Vita solitaria, et, de Remed. utr. fortunae, et passim in Dialogis. Homerus, L. II Iliados, *Nil femina grauius, nil peius*, iudicat, et Menander, ni fallor, *ubi sunt mulieres, ibi mala sunt omnia.* Scriptor quidam Anonymus, in Tr., de Summo Bono huius uitae, asserit, mulieres omnes uirtutibus esse leues et garrulas, nouarum rerum cupidas, ad fallendum uirum ingeniosas, et tandem insatiabiles, ut in re uenerea, ita in corradendis nummis. Euripides in Hippolyto *κακὸν καλὸν, κίβδηλον κακὸν, pulchrum malum et fucatum*, uocat feminam. Plautus, in Milite, Act. II, Sc. III,

*Quid*

*Quid peius muliere atque audacius?*

In Bacchide uero, Act. I, Sc. I,

*Viscus merus est uestra blanditia.*

Seneca in Hippolyto Act. III, Chor.

*Decus omnia turbat capitis, humectant  
genas,  
Instruitur omnis fraude feminea dolus.*

Tibullus, L. III, Eleg. III,

*Ab crudele genus, nec fidum feminae no-  
men!*

*Ab, pereat, didicit fallere si qua uirum!*

Iuuenalis, Satyr. VI,

*Semper habet lites alternaque iurgia lectus,  
In quo nupta iacet.*

Propertius, I, 26,

*Nulla diu femina pondus habet.  
Namque est feminea tutior unda fide.*

Idem, L. II, Eleg. IX,

*Sed uobis facile est, uerba et componere  
fraudes.*

*Hoc unum didicit femina semper opus.*

Plautus, in Stich., Act. I, Sc. II,

*Qui potest mulieres uitare, uitet, ut quo-  
tidie*

*Pridie caueat, ne faciat, quod pigeat po-  
stridie.*

Idem, in Paenulo, Act. I, Sc. II,

E

Nego-

*Negotii sibi qui uolet uim parare ,  
Nauem et mulierem , haec duo, comparato.  
Nam nullae magis res duae plus negotii  
habent.*

I. Montaigne de Bigamia , dicit , *Castae sunt  
eae , quas nemo hactenus rogauit. Citius enim  
sustinent odorem hominum , quam anseres.* For-  
te inde tot puellae, ex negato congressu, in hec-  
ticam aliasque aegritudines , quin et ipsam mor-  
tem , incurrunt , uel ex moerore , quem inde  
fufcipiunt , nescio quo delabuntur , quod uult  
Petrarcha , Epist. LXXXIX. Aliqui eas describunt,  
*quod sunt Angeli accessu , daemones in domo , pi-  
cae in porta , caprae in borto , foetores in lecto.*  
Alii recitant uersiculos illos ,

*Nux , asinus , mulier , simili sunt lege li-  
gata ,  
Haec tria nil recte faciunt , si uerba ces-  
sent.*

Sunt , qui unum , magnis in negotiis uersantem ,  
tribus carere rebus , religione , uxore , pudore ,  
oportere , non sine suo et seculi opprobrio ,  
edisseruere. Vide Io. Henr. Boeclerum , in Vita  
Christoph. Forstneri , p. XLIII. Notum est illud ,

*Pereat male , qui uxorem ducere  
Instituit primus , tum secundus qui fuit ,  
Tum tertius , tum quartus , tum , qui post-  
huitus.*

Broune ,

Broune, de Relig. Med., L. XX, f. IX, *Femina, costa tantum et curua uiri pars est*, ait. Nescio quis, apud Petronium, *Omnia*, ait, *norunt mulieres, etiam, quomodo Iupiter duxerit Iunonem*, et Iphigenia apud Euripidem ita loquitur,

Γυναικὲς ἔσμεν ἔσθ' ἂν ἀμνηχανώταται,  
Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

*Mulieres sumus ad consilia bona inertissimae, maiorum uero omnium artifices sceleratissimae.* Verbo, iuxta hos,

*Femina nulla bona est, et, si bona contigit ulla,*

*Nescio, quo fato res malafacta bona est.*

Plura qui uelit, legat, quaeso, Hippolyt., ap. Senecam, Trag. Act. II, Sc. II, u. 557, Coel. Rhodigin. 'Antiq. Lect. XV, 14, Le bon heur et le malheur du Mariage. Le debat de l'homme et de la femme. Les secrets et loix de Mariage, et fusissimum Neuizaenium 1, L. I, n. CLXIII, p. XXC, in Sylu. Nuptial. Quibus omnibus elegantissime respondet Aristophanes in Com. Thesmophor., in Choro, p. m. 15 CCXCVII, quo te relegatum uolo, ut et Gediccus, Theol. D. qui oppugnat Anonymi scriptum, *Mulieres Homines non esse*, Claud. Baduellus, de Ratione uitae studiosae ac literatae in matrimonio collocandae, p. XXCIII, sq., Agrippa, de Matrimonii Sacramento, ut et de Praestantia Sexus Feminei.

lius mihi sanissimus uidetur, qui *Homines*, ait, *si sine uxore esse possent, omnes molestia carerent*. Respexisse mihi uidetur ad onera matrimonii, quae utrique sexui ex lege naturae incumbunt. Videatur Puffendorf. de Off. H. et C. II, 2. Femina siquidem, in coniugio uiuens, (1) omni suauitate, omni honoris, amoris, obedientiae et reuerentiae, exhibitione maritum amplecti debet. Tiraquellus, Tom. II, Leg. Connubial. Gloss. I, n. XLI, et de Nobilit. c. XIII. (2) Praeter praestationem debiti naturalis, maxima eidem cura esto, ut ne prolem utero gerentem, uel exclusum laedat, non abortui, non externis causis, leuissimam det causam, sed laetetur de spe prolis, partum uero in lucem editum, hilari animo excipiat, et propriis uberibus, de quo longus et accuratus est Plutarchus, de Educat. Puerili, alat. (3) Rei domesticae prospicere, conuenit uxori, et (4) grata memoria defunctum maritum colere. Vid. Propertius L. III, eleg. XII. Sic Artémisia uiri mortui cinerem ebibit, ne et in morte a uiro, quem tantopere dilexerat, separaretur. Vid. Gellius, X, 18. Senecae uxor maritum in ipsa morte non deseruit, et uenas sibi cum marito curauit incidi, Tacito teste, L. XV Annal. Conf. Valer. Maximus, IV, 6. Plura habet Petrus Godofredus, ICtus, Dialog. de Amoribus II, 4, p. CC, sq. Vicissim maritus iure naturae tenetur, (1) ut uxorem colat et diligit, cum qua indissolubili quodam glutine connexus est, ut uel ipsos parentes



rentes postponat et dimittat, adhaereantque sibi inuicem, et sint duo in carne una. Parentes a liberis, liberi a parentibus, saepe discedunt. Neque enim ulla lex discessum prohibet, necessitas et utilitas rei domesticae eum potius suadent. At, uxorem a uiro diuelli, nulla lex, nulla utilitas, necessitas nulla, nulla denique religio, permittit. Quid, quod, si alteruter dirumpat hoc uinculum, is mihi uitam omni laetitia orbam, omni auxilio destitutam, infelicissimam agere uiderur. Apud Boeotios certus axis, quo uecta erat in mariti domum noua nupta, comburebatur, ut signum esset, eam illic perpetuo permanfuram, teste Plutarcho, in Problem. Rom. c. XXIIIX, et apud Romanos sponsa, oblecto flammeo capite, cum extulisset pedem e primis aedibus, uertebatur in gyrum, atque ita ducebatur in domum sponsi, ne scilicet uiam sciret redeundi ad aedes parentum. Iuris enim utique est, ut, si maritus locum mutet, uxor teneatur eum sequi, d. q. ur. Tiracquel. in LL. Connubial. Gloss. I, p. I, §. XXXIX. p. VII. (2) Vxorem nutriat et tueatur, ne uel abundantia, uel indigentia, reddatur impudica. Elegans est locus, qui legitur in Praefat. L. XII Columell. de re Rust. *Cum paratae res sub tectum essent congestae, alium esse, oportuit, quod et illatas custodiret, et cetera conficeret opera, quae domi deberent administrari. Nam et fruges, et cetera alimenta terrestria, indigebant tecto, et ouium ceterarumque pecudum foetus*

*rus atque fructus clauso custodienda erant, nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare, cum et operam, et diligentiam, ea, quae proposuimus, desiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quae domi custodiri, oportet, iure, ut dixi, a natura comparata est opera mulieris, ad domesticam diligentiam, uiri autem ad exercitacionem forensam et extraneam. Itaque uiro calores et frigora perpetienda, tum etiam itinera et labores pacis ac belli, id est, rusticationis et militarium stipendium, distribuit. Mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. (3) Maritus rem domesticam gubernare debet, h. e., suo consilio procurare grauiora, leuioribus uxori re-*  
*„ lictis, negotia. Ea propter Gueuara ait. Quam-*  
*„ uis maritus sit in sumtu tenax, gestu inciuilis,*  
*„ ingenio durus, genere obscurus, sermone prae-*  
*„ ceptis, in aduersis timidus, in prosperis incau-*  
*„ tus, tamen cum maritus sit, quo minus do-*  
*„ mi suae solus imperet, prohibere non possu-*  
*„ mus. Minime tamen cum seruis, iuxta Epiphani-*  
*„ L. III, haeres. c. VI, culinas curare, liberos re-*  
*„ ducare, et similia facere, debet. Neque etiam*  
*„ ista gubernatio, seu imperium, asperitatem quan-*  
*„ dam prae se ferre debet. Qui enim prudentis*  
*„ uiri et boni mariti officio fungi uelit, non tam*  
*„ uim et rigorem, quam rationem et aequitatem,*  
*„ in corrigenda et gubernanda uxore adhibebit.*  
*„ Ea quippe est feminarum natura, ut duci potius,*  
*quam*

quam cogi, uelint. Vxoris odium uitet mari-  
tus. Si enim illa oculos in alium coniecerit,  
nunquam cauebit maritus, quin suis amoribus  
potiatur. Verba sunt Gueúaræ. At, iuxta  
Horat. L. I, Od. XIII, O

*Felices ter et amplius*

*Quos irrupta tenet copula, nec, malis*

*Diuulsus querimoniis,*

*Suprema citius soluit amor die.*

(4.) Quod tandem primo loco dicere debuif-  
sem, incumbit etiam marito, ut officii naturalis  
debitum præstet uxori. Ne commiseratione  
quidem digni sunt ii, qui, impotentiam et debiles  
lacertos non ignorantes, sibi imperare neque-  
unt, sed iuuenes puellas, salacissimas sæpe, in  
matrimonium ducunt. Quis uero iis succense-  
at uxoribus, quæ, deceptæ, fraudem fraude  
remunerant, et, cum sint cornigeræ, uiros illos  
deceptores cornutos reddant? Huius rei uenu-  
stissimum prostat exemplum in Heinſii Episto-  
la, An et qualis uxor literato ducenda sit,  
quæ cum non sit in omnium manibus,  
nos persuasit, ut totam historiam huc in-  
feruerimus. *Ego noui, ait, ut de reliquis nunc nil di-  
cam, quendam, genere optimo prognatum, qui,  
non ita diu est, cum ad plures abiit. Is uo-  
catus autem quodam tempore ad conuiuolum  
cum esset, euenit, ut puella quoque ibidem esset,  
mire arguta ac uenusta, myrothecium Veneris, le-  
porum omnium ac elegantiarum effigiem, homo fa-*

ctus ad poesin, dixisses. Vultu autem ita emendato ac festiuo, nihil ut amari ulterius a quoquam posset. Accedebant oculi, dii boni, quales, uoluptate ac illecebra plenissimi, aucupium amoris. Osculum praeterea exiguum, quod uestibulum Cupidinis, Gratiarum pyxidem, tuo more, loquitur cum poeta, in carmine uocares. Enim uero, pedem in choreis si quando poneret, praeter ipsam artem, ita lubrice ac agiliter saltare erudita, singula ut membra, non moueri, sed, aut fluere, aut natate, diceres. Hic quid faceret, primum adolescens, tum, quod rei caput, poeta, benigna in amorem scilicet, materies et prona? Primo, scribere uersiculos, mox et amore eius deperire, coepit. Quid multa? Amabit, et, post menses aliquos, exorat, homo opulentus quidem satis, sed, qui durum atque illepudum in liberos parentem, tum adhuc superstitem, haberet, nouam matrimonii calamitatem. Ceterum, cum et ille aliud plane ageret, illa autem uirum in lecto, non poetam in carmine, desideraret, coepit ei cum uicino quodam, homine uilissimo, sed admodum robusto, belle conuenire. Interim optimus ac ornatissimus uates, Iliada et Vlyseam totos dies cantillabat, aut fortasse Diuae Castitatis Hymnum scribebat. Τὸν δ' ἀπαμειβόμενῃ illius coniux, in alterius amplexibus assidue ac diligenter uersabatur,

Nec misero prodesse in tali tempore quibat, quod elegias terfissimas conscriberet, et uersiculos, Ouidiano more, alternos (nam religiose id quidem obseruauerat) dissyllabis concluderet. Noctue

ctu autem, quoties ius suum peteret maritus, illa, ut plurimum, cunctando, et, lenonia difficultatis arte, honestatem suam, quam prostituebat foris, apud uirum tuebatur. Quod ignauiae illius taedio, non castitatis studio, fiebat, quae unius uiri in matrona cultu ac obsequio censetur. Ille interim, si quando cum amicis animum laxaret, cum praesertim aliquantulum maderet, de pudore coniugis et castitate, totos dies peierabat, saepe, ne absente quidem illo, qui mensuram corporis illius iuxta, ac maritus, cognitam habebat ac perspectam. Multa in hoc iuvene conuenerant, quae coniugii serenitatem singula turbare poterant. Meditationibus assiduis, neque dies, neque interdum nox, ponebat finem. Quemadmodum auarus foenori, ita horas omnes et momenta cogitando, aut scribendo, destinarat. Iam, incredibilem uigorem animi, aetate prima, ad lubricitatem appulerat, quo hoc consecutus erat, ut, ex illo pristino ardore, nihil praeter uitae coelibis impatientiam, haberet reliquum. Cetera coniugii praesidia, in primis illud maximum, ante ipsum iam consumpserat. Quae res, optime Primeri, sicut corpus, ita animum, disungit atque auertit. Itaque, in praesenti re cum uersaretur, et iam uiro esset opus, continentiam, aut temperantiam, plerumque commendabat, et, ut hoc uxori persuaderet, e Platone suo aliquid, aut Aristotele, de summo bono et intensione mentis, afferebat, animo paratus miles, sed quem aliqua, quod fit, quoties lubrico annos anteuertit ac mox deserit, calamitas

attigerat. Interdum quoque locum aliquem, Pol-  
lucis, scilicet, aut Festi, a se emendatum, cum gau-  
deret, ne hoc quidem apud coniugem dissimulare  
poterat. Ceterum, matrona uenustissima, uerum,  
quae in Aristotele ac Platone nihil unquam lege-  
rat, sed et de acumine et sagacitate criticorum ni-  
hil audiuisse uidebatur, unius loci emendationem  
serio optabat, quem corruptum esse et in uitio ia-  
cere, ne ipse quidem summus criticus et optimus  
poeta ignorabat. Sed, inuita Venere et Minerua,  
nihil fieri solere, nosti. Prima autem nocte, cum  
hilaritati et Lyaeo, patri, indulisset plusculum,  
quod nec ordine, nec recte, a quibusdam fieri,  
uidemus, illa autem pro uirginitate, ut putabat,  
et, ut mos est puellarum, ultimum certamen, cer-  
neret, ibi uates disertissimus, qui tam saepe Hy-  
men, Hymenaeae, apud collegas suos legerat, aut  
ipse scripserat, oblitus oris purpurei, cuius laudes  
decantauerat, oblitus genarum, quas cum niuibus  
ac minio toties contulerat, ceterorum omnium ob-  
litus, quae referre mora est, et adhuc in eius car-  
mine leguntur, nihil quidem se indignum fecit,  
sed dormire coepit, integramque, quanta fuit,  
noctem, bene ac pudice, grauis ac molestus nemi-  
ni, transegit. Mane autem, aut, quia de poeta  
loquimur, ubi

Purpureis formosa genis Aurora ruberet,  
cum nullius sibi esset conscius facinoris, et ex con-  
scientia inertiae puderet, audiuisse se, aiebat,  
cum dolore calculi solere eam conflictari, cui om-  
nes agitationes corporis in primis esse aduersas.

*Id ex uiro docto, Coo Hippocrate, se didicisse. Ea re commotum se, aduersus animi lubidinem, abstinuisse illa, quippe qui illius ualetudini consultum uellet. Atque ita summus uir, neque contemnendus Themidis sacerdos, praecipua duo iuris praecepta, una nocte expresserat. Nam et uixerat honeste, neque quenquam laeserat, suum autem cuique an reddidisset, quaeri poterat. Mutius, ut reor, et Trebatius negassent. Idem autem et uxori eius uidebatur. Quae, pertaescata tandem huius consuetudinis ac uitae, domi eruditae, alibi festiuas, noctes agitabat. Hactenus ille. Et haec de officii legibus, quae utrique coniugi incumbunt, quarum grauitas utique quem a matrimonio deterrere queat. Nos quod attinget, matrimonio suam exhibemus reuerentiam, suum tribuimus honorem, ita tamen, ut, nisi lex obstaret diuina, coelibem sine coniuge uitam longe huic praeferremus. Nisi enim in adipiscenda coniuge proba felix sit aliquis, uel unico die maritum esse, onus est, et opus onerosissimum, ex ipsius Imperatoris Aurelii effato. Quid autem libero lectulo beatius, quid ad decorum uitam propius accedit? In hoc inter somnum et cogitationes, nunc pias, nunc doctas, nunc utrasque, tota nox, insomnis potissimum, diuiditur, neque ad arbitrium cuiusquam dormiendum est, aut uigilandum. In hoc, ceu in specula positi, mundi uanitates nobiscum ridere solemus, unice uariis rerum meditationibus animum oblectando, contenti, unice securi, ne  
aut*

aut causa excidamus in foro , aut in ambitu repellamur , aut in mari Indico bonis elxuamur. Nihil hic curamus , unde sumptus pro ancillis , pro liberis , pro uxore denique ipsa , colligendi , multo minus animi angimur , si forte mors pulset tabernam nostram , unde , nobis mortuis , uxor et liberi honeste uictum sint accepturi ? Nulla in re prodigi sumus , nisi in libris emendis , et , si quid nobis restet , in pauperes collocamus , uel cum amicis suauiter consumimus. Si oblectationi aliquid dare , si genio , ob quotidianae lectionis taedium , indulgere , animus est , amicos adimus , edisserimus , disquirimus , bono animo iocamur , ingenium pascimus , ex animo denique et bona fide nobis gaudemus. Si corpus , ad ualitudinem tuendam , exercendum , ne hypochondria spiritus distensione sua turbent , suauiter hoc quoque agimus. Emitterimus famulum , ut equum procuret , non infidum Pelorum , aut superbum Bellerophontis Pegasum , uel indomitum Bucephalum , uel Durateum , infidiis repletum , sed lene et ad nutum compositum animal , et exacta exquisitaque macie conspicuum , ut , quod Virgilius tantopere commendat , stare loco nesciat , ea praeterea magnitudine animi , ut calcaria et stimulos , plus , quam Stoica constantia , contemnat. Hunc ubi aliquantulum defatigauimus , simulque ad stagnationem prouum , mox ad inflationem uiscus , rebelle maxime , disponentem , humorem uniuersalem paululum exagitauius , omnesque tubulos , ea leui

commo-



commotione , a magmate obstruente liberamus , equites domum redimus , aliquanto , ut opinamur , alacriores , quam si ab uxoris complexibus , uehementioribus animi motibus , rediremus . Si quid ultro , ad libros nos nostros conuertimus . Inter eos nos abscondimus , foribus pessulum obdimus , nemini tunc sumus domi , nisi his , intimioris admissionis amicis . Cum his ludimus , eorum nectare nos inebriamus , eorum alimentis nos replemus , et ad satietatem quoque explemus . Libidinem omnem , amorem , ambitionem , mundi uoluptates , quarum appetentia plena est anxietatis , satietas uero poenitentiae , ex Boeth. de Consol. Philos. , L. III , propos. VII , et Demosthenis mei mente , quam , ap. Gellium in Noct. Atticis , L. I , 8 , lege sis , et id genus alia , quorum parens est ignauia , imperitia nutrix , natura peruersa obstetrix , excludimus . Haec enim si beatos nos explicare possint , nil causae est , quin pecudes quoque beatae esse dicantur , quarum omnis ad explendam corporalem lacunam festinat intentio . Grauius in hunc modum disputat Maximus Tyrius , Serm. XXXII , ἐντεῦθεν ἀρξαι , τι ἀνθρώπων διασωστικόν , ἡδονή . Πραγμα μοι κοινόν λέγεις , ἐπὶ πάσας φύσεις ἐξικνήμενον , καὶ διὰ τῆτο αὐτῆ τὴν προτιμίαν ἐκ ἀνέχομαι . ἡδέται καὶ βῆς , καὶ ὄνος , καὶ σὺς , καὶ πῖθην . Tantam nos , T. O. , felicitatem ex uix centenis aliquot libellis in nos redundare , sentimus , quoties inter has illustres animas sedem nobis sumimus ,

mus, quantam nec Croesus ex aerario suo hau-  
 sit, nec alii multi, ex multis millenis, ad pom-  
 pam et opinionem eruditionis congestis, libris,  
 sibi parere sciunt. Atque hac quidem uiuendi  
 ratione eo peruenit natura nostra, ut, si uel ma-  
 xime nobis cum Aurelio Chisio, cui custodia  
 puellarum egenarum, at facie et moribus hone-  
 stissimarum, quae in domo, Derelictarum dicta,  
 fundatore Hier. Beneuogliente, alebantur, ne  
 egestate coactae quaestum occiperent, ac Dei in  
 se templum uiolarent, cura uirginum lepidissi-  
 marum concrederetur, nosque earum consue-  
 tudine frequenti quotidie uteremur, ea tamen  
 castitatis et continentiae fama inter illas uerfa-  
 remur, ut nullam unquam cuiquam alicuius, mi-  
 nus honeste habitae, suspicionem praeberemus, ne-  
 dum, cum Antonio Augustino, Icto, tangeremus,  
 quin potius selectissimarum dearum blandimen-  
 ta libris nostris, ceu fidis sodalibus, postpo-  
 neremus. Obiicis, sed quidni etiam ita uiue-  
 re, ita indulgere libris, poteris, si uxorem  
 duxeris? Minime. Alia enim uiri felicitis, alia  
 prudentis mariti, uiuendi ratio est. In matri-  
 monio sane alius est mos, alia lex. Nullus hic  
 Hippocrati locus, aut Galeno, nullus Platoni.  
 Nulla hic pro meditationibus nox est, aut aurora.  
 Solum illud auditur, praesta te uirum, praesta  
 te maritum. Austerae eae dicuntur uxoribus  
 noctes, quae, licet infomnes, meditando et legen-  
 do transiguntur. Nihil autem magis diluit amo-  
 rem, quam prima illa ex uigiliis, quas in sua-  
 uissimis

uissimis Musarum amplexibus ducunt mariti, oriunda suspicio, quanquam ab altero latere uicissim non raro sequi solent maritis molestissimae cucurbationes. Vnde, prout suauiter incomparabilis Heinsius, l. c., ait. *Fastidium primo, mox contemptus, si praesertim sint dotatae, aut liberius educatae. Ita saepe euenit, uenuste Primeri, ut, cum isti uestri sapientes et eruditi homines infrequentes sunt ad signa, illae quoque, neque inelegantes, neque inficetae, alibi stipendia faciant, uosque, publica nomina et ubique nota, ne priuatas subinde uxores habeatis, aut, si sint honestae, etiam amarae sint et uiro graues. Neque sine causa. Vos enim, loquitur cum poeta, nihil praeter numeros et pedes cogitatis, illae autem pessimae, pedes in lecto tolli, uolunt. Quare, ut festiue et improuide amatis, ita saepe uxorem ducitis, cum nihil magis serio agendum sit, quam, quod postea mutari nequit. etc.* Id quod tunc potissimum accidere solet, ubi uenustae sunt et facetae mulieres. Marianus Socinus, Senensis Ictus, interrogatus, cur minus solito literis operam daret, *Vxorem*, inquit, *dux*. Rursus interpellatus, cur Socrates uxoratus non itidem philosophiae studia neglexisset, *Xantippe*, ait, *morosa fuit et deformis, mea uxor proba est et forma decenti*, quod refert Baduellus, l. c. et Autor Coniual. Quaestio. in Titulo *Vxor*. Deinde, quam facile dominium amittitur, fitque, ut illi, qui impetare familiae, quam alebat, debebat, imperetur  
ab

ab illa, cui parendum esset. Et quidem non raro euenire solet, ut, quo quis eruditior, eo magis sub imperio uxoris uiuat. *Neque mirum, ait noster. Nam, quem ad modum Lacaenae, quod, est apud Aristotelem, addo et Iustinum, dum in castris degerent mariti, ius eorum et auctoritatem sibi uendicauerunt, ita istae, uiris absentibus familiae imperium inuadunt. An tu autem, domi esse, censes, pergit, qui nunc in Homero, nunc in Seneca, aut in Platone (noui enim, qui sic uiuunt) semper habent animum, qui nunc Romae, nunc Athenis, aut, si ad recentiora animum dimittunt, in Britannia, aut Gallia, aut India, uagantur, atque adeo, si nihil legunt, tamen in Parnasso aliquo, aut Helicone, aberrant, et praesentes etiam plerunque absunt?*

*Qui mihi, ubi ad uxores uentum est, tum fiunt senes.*

Interea arreptum semel imperium, non annis, sed prudentia, fallor, an astutia, muliebri, quae multo est efficacior, tuentur. Omittam iam ea, quae praeter morem et consuetudinem marito sunt agenda. Salutandi plures, conuiuandum saepius, multis obsequendum, omnes metuendi, quid ancillae, quid pueri, quid amicae sorores, pestis illa, contagio suo optimas inquinans animas, quid aniculae demum, marito absente, uel uxore, suggillent. Literis sanctissimisque cogitationibus renuntiandum, sartori, futori, tonsori, trichomatum confectori, aliisque, plura ex opi-  
bus

bus tuis accedunt. Tot insuper petulantes ancillae, morosae nutrices, mulierculae denique et praeceptores alendi et remunerandi sunt. Incedendum cum cura, edendum effeminate, molli-ter bibendum et parum, suo tandem tempore caste cum muliere infaniendum. Quae miseriae autem et calamitates, si uxor, si liberi, morbo corripiantur, proh Deum! quoties ingendum, et quoties forti illacrymandum? Quantos autem morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quendam nequitiae fructum, oriundum ex tam castissima re sanctissimaque, solent referre uxores? *Honestissima quidem*, ait Boethius, d. l., *conjugis foret liberorumque iucunditas, sed nimis a natura dictum est, nescio quem filios inuenisse tortores, quorum quam sit mordax quaecunque conditio, neque alias expertum te, neque nunc anxium necesse est admonere. In quo Euripidis me sententiam probo, qui, carentem liberis infortunio, dixit, esse felicem.* Extat haec in Andromacha Euripidis, ubi Menelaus ita,

Πᾶσι δ' ἀνθρώποις ἄρ' ἦν  
 Ψυχὴ τέκν', ὅστις δ' αὐτ', ἀπειροῦ ὢν, ψέγει,  
 ἦσσαν μὲν ἀλγεῖ, δύσυχον δ' εὐδαίμονεϊ.

h. e. *Mortalibus quippe omnibus  
 Sunt liberi anima. Ignarus hoc qui carpsferit,  
 Dolet minus, felix suo infortunio.*

Ratallerus, contra, ita effert hanc Euripidis sententiam.

*Mortalibus sunt omnibus*

*lucundiores liberi uita, ipsa sunt*

*illi anima. Qui dictum hoc, inexpertus negans*

*suggillat, ille et angitur animo minus,*

*Eaque in ipsa aduersitate beatus est.*

Filiorum delicta saepe uidere patribus contingit, uirtutes raro. Testis est Aurelius, Imperator. Duorum ille erat filiorum parens, sed infelicissimus. Bonae enim indolis, Verissimus morte rapiebatur, Commodus contra, pessimus et ineptissimus princeps, patri in regno succedebat. Hinc Imperator, Deos, ait, *testor immortales, minus crudeliter infelicis filii mei uiscera a uermibus famelicis, quam aerumnosi parentis animum doloribus acerbis, lancinari, ita quidem, ut nulla sit proportio. Filius enim semel tantum mortuus est, pater uero miserrimus singulis moritur momentis, omnibus in rebus munifici in nos dii sunt, praeterquam in concedendis filiis, in uirtute praestantibus. Equidem diligentissime obseruaui, quo sublimior est cuius status, eo maior est bonorum heredum penuria. Molestissimum sane auditu, at longe acerbius uisu, est, quod parentes diuitiis proficiunt, filii uirtutibus officiant, quod parentes filiis honori, filii parentibus dedecori, sint. Legitur tale exemplum in Museo Historico Ioannis Imperialis, p. XLIII, de Ioanne Georgio Trissino. Hic filium suscepit, nomine Iulium, cuius deterrima erga se officia, ad insigne posteritatis exemplum, expertus. Aiunt, perpetuis ipsum conuiciis laceffere solitum, nullam ipsi charitatis, nul-*  
lam

lam obsequii uel pietatis, uicem retulisse, turbatis naturae legibus parentis nomen odisse, a cuius propterea conuictu semper abhorruit, tandemque eo patrem rededit, ut, spontaneo ueluti exilio, se a patrio coelo, seu potius a trucissimi filii oculis, abdicandum, Romam denuo referendum, putarit, ubi communi tandem fato concessit. Quibus et hoc addendum, quod quidem Deus ut auertat, precor, quod multi mariti festum Hybridicum, dum in uiuis sunt, cum Achuis celebrare, fato quasi quodam, teneantur, et acerbas a mulieribus, uirorum uestitu incedentibus, contumelias experiantur, de quo Martinus de Rosas, Sing. p. II, c. 9, p. CCXL, ex Plutarcho, qualia exempla prostant in Erythraeo, Laur. Crasso, Ioanne Imperiali, Capaccio, plurima, Genesii Proidae, Thom. Demsteri, Fr. Rogenii, et infinitorum aliorum. Denique, quid miserius, quid calamitosius, cogitari potest, quam, si liberos procreaueris, ad quos nihil ex hereditate tua praeter famem et sitim, iam in agone constitutus, peruenturum, uideas et recorderis. Nosti illud, *Eruditos nil, nisi libros, relinquere.* Ut adeo non immerito Imperator Aurelius, ubi, de infelici coniugio conqueritur, dicat, *Profecto, si dii amorem uoluntarium fecissent, quem ad modum naturalem fecerunt, ut, si modo uellemus, possemus, omni supplicio dignissimus foret, qui naufragum multis pelagus ingrederetur, et, ob feminae amores, ipse perditum se daret.* Erythraeus autem, in uita

Rogerii, Pinacoth. II, n. XXXV. *Cum a philosopho certa uitae ineundae ratio exquiritur, nihil illi minus conuenire, arbitror, quam connubium. Nam quid illi res sit cum corporis illecebris, cuius mens, sublimium rerum contemplationi dedita, peregrinetur in coelo? Etenim neque philosophiae, quam, tanquam filiolum, amplexari se, dicit, satisfacit, neque uxori, cui operam dare, iubetur, animum explet.* Vides autem ex his, amice, in quo statu res tuae aliquando fient, et quos fluctus nauis tua in isto pelago sensuros habeat, si coniugi te mancipaueris. Ego interea harum fraudum, curarum, taediorum, imperitus, suauēs ducam noctes, libellorumqum meorum, cœu fidissimorum amicorum, amplexibus fruam, horum imperio suauissimo succumbam, iis honeste seruiam, et tandem, nec uxorem egenam, nec liberos inopes, superstites relinquendo, suauissimo cum sensu, inter meditationes meas, et mutua cum Deo colloquia, moriar. Sed, o, suauissime Tiro, non id uolo, ut pessimos hos nostros mores imiteris. Nobis enim, ita uiuere, placet, quia ita uiximus, et, ita nos felicius longē uiuere posse, coniiicimus. Tu potius, posteaquam ad maturitatem annorum, et studiorum scientiarumque, perueneris, hicque mos naturae tuae non arriserit, uxorem ducas, uelim. Dubitas adhuc, *sed miror, utor uerbis Heinſii, tanquam controuersum, id a te proponi, quod ipsa diiudicat natura, quae a communi hominum conſuetudine literatos, multo minus medicum et in*  
natura



natura toto die uersantem, *exceptit, aut sexu quodam tertio distinxit. Quod et antiquissimorum exempla probant sapientum, quorum nemo, ne in maxime seuera quidem cum Stoicorum gente fuit, qui non barbam quoque et supercilium uxoriis amplexibus summiserit, aut in ista arte a reliquis dissenserit. Non, quin coelebs forte uixerit non nemo, sed, quod non, qua talis, uerum, quia hic aduersus uoluptatem stimulos praesidii a natura plusculum, quam ille, accepit, uel, quod non tam minus acres sentit, uel, postremo, quod amoris simulacra, diligentius uitare solet. Nam hoc plurimum in hac re potest. Humanus quippe animus noster in eam penitus conuersus partem, quam praeclare imperantem Stoici et Plato dicunt, qua ad Deum immortalem proxime homines accedunt, et in qua supremum hominis ac proprium uersatur opus ac officium, a sensibus externis separatus, tutum ac immunem a contagione ista facile se praestat, quae, ut primo se per oculos insinuat, ita et parte ea, quam natura rationi maxime opposuit, ac cuius pudere omnes uoluit, restringitur. Cui, qui honeste imperare nondum dicit, honeste seruiat, si uolet, et ad generis humani propagationem, quod uectigal omnes conseruationi debemus, caste ac legitime accedat. Adde his infinita, quae prae reliquis ad hanc uiuendi rationem inuitare literatum hominem debebant. Inter quae uel primo illud loco pone, quod plerunque rebus ipsi suis, et domesticis negotiis, dum alibi in-*

*tentum habent animum, praesse non possunt. Qui, quo est nobilior, eo, cum in se reflexus, et a curis istis, sine quibus se tueri paterfamilias non potest, longius remotus est, eo contemplatur acrius. Quod Democrito et Anaxagorae euenit. Quorum a corpore et humanis cogitationibus diuulsus quasi ac auersus, peregre dum esset, animus, culta et agellos, ut antiqui notant, pecudes depascebantur. Quare in partem domus saue uxor, non illepida, non inuenusta, nec lasciuia tamen, ueniat. Quae, postquam interdum curas istas minimas, sed tamen necessarias, in se suscepit, noctu, matronali uerecundia, quam castus ac legitimus mariti amor, non libido sua aut procacitas, remittit, grauiores quoque abstergat, et complexibus saauissimis morosam illam contemplandi uoluptatem diluat. Non, ut corpus, quod est betularum, defatiget, sed, ut maius desiderium in animo accendat, menti autem instrumenta sua integra relinquat. Quae in corpore non uegeto, non sano, aut, si nimia libido id affligerit, opus suum, ut oportet, exercere, uix est, ut possit. Iam quid suauius domum, a publico (ab aegris) aut libris, uenienti, quam uxorculae conspectus, quam occursum liberorum, qui, ut parentis sententia instituantur, mature de conditione aliqua est cogitandum, tum uero, quia aetas nulla satis tuta est ab eo, quod hac prima tantum tempestiue fieri, putatur. Turpe enim est senilis amor, ut poeta canit. Nicolaus Niger, propter magnitudinem uentris, qui adeo illi ex adipe extare ac promi-*

prominere coeperat, ut omnem cum mulieribus concumbendi facultatem adimeret, in eam aegritudinem coniectus est, ut mortem in beneficio posceret. Quid enim, aiebat, opus est uita illi, cui uoluptas ea desit, propter quam uita sit expendenda? Erythraeus, d. l., I, p. CCXLIX. Denique hic addo medicum quoddam arcanum, quod uxoratus medicus certiore apud mulieres praese ferat sexus, eiusque morborum, scientiam, quasi praesentius iis opponere sciat remedium, et accuratius omnes circumstantias ex aegra explicari queat, quas alias, uel ex matronali uerecundia, uel fucato et ficticio pudore, feminae reticere solent. Reperies enim non raro in praxi feminas, quae nullae dubitant, corpus foris omnium uoluptatum sectatoribus exponere, quaeque id summam prudentiam uocant, callide posse omnes amoris gradus experiri, et uirum decipere, quae postea, ubi eo forte membro, quo peccarunt, uel alio etiam, minus a natura occultato, aegrotant, statumque morbi sciscitanti medico exponere debent, nescio quibus uocibus, quam tectis metaphoris, quantis aenigmatibus, rem dicendam, rubore quoque non raro, quem ex tempore excitare, mox reprimere, ut pallere tota facies compareat, sciunt, suffusae proponant, ut eas castissimas putes, et tales, quae ne obsceniuseulam uocem, alias feminis, plebeiis potissimum, semper in ore uolutatam, absque horripilatione et increpatione, audire queant. Quamuis res ipsa longe aliter

ter se habeat. Quid uero maius medico solatium est, quam aegrum habere consentem, praesertim, si femina fuerit, apud quam, si opinionem, de doctissimo alias medico, non sufficientem ea sibi conceperit, nae omnibus specificorum pyxidibus nil efficiet. Matrimonium praeterea aliis omnibus hominum coeptis et actionibus uel ideo praestare uidetur, quod prae iis prius institutum est atque sancitum. Originem suam a prima mundi origine numerat, ab eo tempore, quo nil, nisi illustris quidam innocentiae candor undiquaque splenderet, homini, antequam nec de peccato, nec de lapsu hominis, adhuc quicquam innotuerat, in adiutorium datum, et ad legitimum humanae speciei propagationem introductum. Vid. Cornel. Agrippa, de Nobil. et Praestant. sexus femin., in initio. Minime propterea miror, quod nulla morum consuetudo, nulla religionum diuersitas, nullae societatum leges, nulla nationum barbaries, nulla regionum longinquitas, nullum aetatis robur, nullus conditionis respectus, quia nec calamitas, nec aegritudo, nec sterilitas, nec taedium, nec criminis accusatio, nec calumniae, eo uinculo dissoluendo pares sint, quodque mariti et uxoris separatio difficilior sit, quam, si quis a se ipso discedere uelit. Et certe, si ingenue, quod res est, fateri licet, tunc demum hominis officio exacte fungi, tunc uitae suae rationem uere inire, mihi uidetur homo, ubi indissolubilem istam societatem iniuerit. *Quod honestius*, Tacitus inquit, L. XII. Annal.,  
leua-

*Ieuamen, quam assumere coniugem, prosperis du-  
biisque sociam.* Marito enim, in moerorem pro-  
lapso, commodissimus portus uxor est. Quae  
autem, quaeſo, ſancior, quae iucundior, quae to-  
ti humano generi utilior, uſu uenire poteſt ſoci-  
etas, quam, quae uirum intercedit et uxorem. V-  
na mens duobus ineſt corporibus, ceu totidem  
arcibus, unus ex uariis cogitatis ſenſus emergit,  
eadem utrique mentis commotio, eadem illis  
triftia, eadem iucunda, communis utriuſque fortu-  
na et par uoluntas. Quiuis illorum ex altero  
dependet, et in altero uiciſſim quiſque requieſcit.  
Hinc uterque idem, quis alter, eſt. Eo au-  
tem tenore comitantur ſe inuicem ad extremum  
uſque uitae exitum. Soli hi nunquam ſibi inui-  
dent, ſoli hi infinite ſe amant, mortuoque tan-  
dem alterutro, alter uix ſuper-eſt. Tantus hic  
eſt amor, ut nec perfidia corrumpi, nec fortuna  
ulla labefactari, nec temporis aeuo conſumi, nec  
ullo mortis genere euelli, queat. Propterea ui-  
duam, uero erga defunctum maritum amore af-  
fectam, D. Arefius, hederæ non abſimilem di-  
cit, quae, trunco arido connexa, hoc lemma lege-  
ret, *Nec mors ſeparabit.* Picinelli Mund. Symb.,  
IX, 15, n. CXXVI. Hactenus de ea matrimonii  
utilitate, quam omnes experiuntur, qui legitimo  
toro uiuunt. Habent praeterea aliquam ſin-  
gularem utilitatem ex coniugio medici. Reli-  
qua eruditorum pars, uel in philologia eſt oc-  
cupata, uel in quiſquiliis circa hanc materiam  
eruendis eſt ſolicita, aut in externa quadam for-  
ma

ma acquiescit. Medicus aliud agit. Illud quaquauerſum aspicias molliſſimum mulieris corpusculum, illam carnis femineae teneritudinem, illam coloris claritatem, illum cutis nitorem, illam ſuauitatem uocis, uibrationes oculorum, et ſtellularum amicabilem hilaritate coniunctum ſplendorem, alii ſenſibus quidem percipiunt, ſolus medicus ſimul earum omnium cauſas rimatur. Quantum uero ſpeculatiuis ingeniis materiam meditando ſuppeditant illa, ſexui huic propria, arcana? Antiquartia, antepileptica, irradiatiua, antimelancholica, quin et maleſicia ſoluens, et cacodaemones fugans menſtrui ſanguinis ſpecifica uirtus, quam longe patet? Antiphthiſica et analeptica medicamenta hac muliebri, colmetica ſaliua et menſtrua, uirtute ſuperant, ſcabiem curant illarum urinarum lauamenta, antapoplecticus et hyſtericus eſt crinium inguinibus et aliis adhaerentium uiolentior contactus et flamma, ſtercus in ſubſtantia inflammationes tollit, in aquam deſtillata ophthalmicum. Partum promouent et epilepſiam funditus curant ſecundinae primiparae. Senio tandem conſecti pectus, ſi papillis melle applicetur, mirum in modum reficit ſenem debilem, illiusque uitam adauget. Forte Dauid propterea Abiſaag, Sunamitam puellam, in ſenio elegit, ut mammillarum ſotu, ceu medicina analeptica, uteretur. Vid. I Reg. XII. Haec ſunt, quae omnium oribus de feminis circumferentur, quae, licet non apodictica uideantur, anſam tamen alterius indagandi medico porrigunt,

rigunt, et ex illo antiquissimo dicerio fundamenta repetunt, quo dicebatur olim, quod feminae in omni morborum genere sibi ex se ipsis mederi queant, nullo etiam exotico, aut aliunde petito, adminiculo accedente. Ut mittam, quantopere ingenia exerceat illa uirginitatis nota, cruentatione facta. Aquarum amararum natura, foetus incrementa, coeundi desiderium, uteri, exilis uisceris, tantopere in grauidatione extensi, absque crassitie, aut densitie, imminutione, status diuersus, foetus tandem exclusio, eiusque superbus, triumphans per angustissimas portarum ualias, introitus, emanatio mensium, lactis in mammas ingressus, mammarum inturgescencia, uteri post partum contractio, et similes, medico tam iucundae, quam generi humano utiles. Haec uero omnia alii pro Chimaerica, aut Ouidiana, fabula, uel magico, a quibus recedimus quam lotigissime, quodam arcano, habent, dum ne Chry de naturae arcanis intelligunt. Turcarum sacerdotes, si cum medicis iis unquam res esset, non crederent, phures uirgines et mulieres concipere sine uirili semine et congressu, et consequenter non haberent ullos infantes, quos Nefesolgos uocant, quos alere debeant. Quis uero non ridet eos, qui, uirile semen, in balneo emissum, mulieris, paulo post balneum intrantis, uterum impraegnasse, statuunt, aut, qui credunt, equas quasdam, zephyro flante, concipere, de quo Virgilius.

*Ore omnes uersae in zephyrum, stant rupibus altis,  
Excipiuntque leues auras, et saepe, sine ullis  
Coniugiis, uento grauidae.*

Haec

Haec et similia quam plurima proferre possem, sed praestat, quaedam reticuisse, ne, dum nimias utilitates recenseam, quae ex feminis inde nunc habeant medici, plumas iis erigam, quibus tandem super aethera uolitare, infra se omnia despiciere, cupiant, seque solum sapere, credant, aut, ne id efficiam, ut tandem petentibus eas difficiliore euadant. Egit enim iam dum eorum causam Cornel. Agrippa, d. l., Tom. XXXI Oper., p. m. 15 XXIX, Gueuara, Horolog. Princip. II, 36, n. CCCLXXII, Henricus Frauenlob, de laudibus sexus sequioris, Anno 1530 CCCXIII, qui, mortuus, a mulieribus magnifice sepultus est, teste VVolfio, T. I, Cent. XIII, p. 15 CIII, Plutarchus, de Virtut. Mulierum, Bosel. in Amalth. Med. C. XI, appar. II, Coel. Rhodiginus, Antiq. Lect. XV, 19. Si ergo et tu, ornatissime Tiro, exantlatis laboribus, societatem hanc, tam nobilem, tam sacram (a Deo enim instituta est) inire aliquando, cupias, illud te hortor, Aureliani, Imperatoris, uerbis, ut, antequam uxorem ducas, quid agas, etiam atque etiam cogites, et, posteaquam, societatem cum femina inire, decreueris, eodem, quo in militiam profecturus aliquis, animo sis, obfirmato ad omnia, quaecunque euenerint. Deinde, consilium tibi illud damus, ut eligas aliquam naturae tuae moribusque conformem, *piam* autem potissimum et *bene educatam*. Quantum enim domestica patrum matrumque familias disciplina, siue seuera, siue mollis, filiabus potissimum, mo-  
menti



menti afferat, ad uitam mariti mollem et suauem, uel duram et asperam, efficiendam, eorum, in utramque partem, qui domi bene, uel male, educatam sibi feruant uxorculam, declarat euentus. Hinc Aethiopes, in Africa, *Sereliops* dicti, ante nuptias, filiolas educationi uxoris peritae committunt, ut ne maritus de sponsa habeat, quod queratur. O. Dapper. in Beschreibung Africae, p. CCCLXXXI. Bonam autem educationem filiarum in eo consistere, puto, ut parentum cura sanctae mentis scintilla, pudor, custodiatur in prima aetate, ut ab otio ad labores, adhortationibus, seruo uultu, minis, poenis denique, si opus fuerit, ducantur, ut, in uestiendis ornandisque iis, potius defectu, quam excessu, peccetur, et nihil indulgeatur iis, et semper parentum, aut maiorum, exemplis cura eorum erigatur. Liberi uisculus paullum sum, et cur esse, in re tam necessaria, nolim? Primam enim filiarum moribus pestem, primas maritorum, talibus uxoribus doctorum, miserias, dicimus, fœcordiam illam parentum formandi custodiendique in aetate tenera pudoris. *Hic enim, iuxta Valer. Maximum, VI, I, uirorum pariter, ac feminarum, praecipuum firmamentum. Hic prisca religione consecratos focos Vestae incolit, hic Capitolinae Iunonis puluinaribus iucubat, hic palatii columnen, augustos penates, sanctissimumque Iuliae gentis genialem torum, assidua statione celebrat. Huius praesidio puerilis aetatis insignia munita sunt, cuius numinis respectu, iuuentae flos permanet.*

*manet, hoc custode, matronalis stola censetur.*  
 Videmus toto die non paucos, ea in suauissimas  
 suas filiolas indulgentia, ut, quae infania, quae  
 iniquitas! etiam multa a filiabus libere facta, scur-  
 riliter dicta, suis ipsi oculis accipiant, non mo-  
 do improbitatem illam, scurrilitatem nequiti-  
 amque, obiurgationibus uerberibusque non co-  
 erceant, uerum etiam, quod turpe et horrendum  
 dictu, osculo risuque excipiant, adeoque, filio-  
 lam optime rem suam egisse, comprobent. Ri-  
 dere autem uitia et in uitis rideri, primus ad  
 peccandum gradus, et suprema simul seculi li-  
 centia, est. At,

*Vos, ubi contempti rupistis frena pudoris,  
 Nescitis, captae mentis habere modum.*

Deinde, non est, quod magis hominem, sequio-  
 ris autem sexus potissimum, de throno uirtutis  
 deiiciat, atque otium. Nouimus uirgines alias  
 probe moratas, natura plane incomparabili, sed  
 adeo in prima aetate negligenter tractatas, ut ad  
 agendum nunquam se applicuerint. Hinc gran-  
 diores factae, taedium temporis, moramque  
 nuptiarum, grauiter ferentes, ludendo, aman-  
 do, similibusque inutilibus et noxiis actionibus,  
 horas consumpsisse, ut postea, coniugio honestis  
 uiris iunctae, non tantum rei domesticae prae-  
 esse non potuerint, sed et, consuetudine in natu-  
 ram ascita, aliud, quam insanire, agere noluerint.  
 Corruptus enim nimia licentia feminae animus,  
 quo minus praesidium in ratione habet, eo ad libi-  
 dinem

dinem acrius accenditur. Ouidius, optimus artis magister, apposite cecinit.

*Otia si tollas, periere cupidinis arcus,  
Contemptaeque iacent, et sine luce faces.*

*Quam platanus riuo gaudet, quam populus unda,  
Et quam limosa canna palustris humo,  
Tam Venus otia amat. Finem qui quaeris  
amori,*

*Cedet amor rebus, res age, tutus eris.*

*Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes.*

*Da uacuae menti, quo teneatur, opus.*

Tertio, accedit illa in uestiendis, comandis ornandisque, filiabus luxuries, qua, priusquam saepe de inuocatione diuini Numinis cogitent, a primo mane, usque in seram noctem, nil aliud cum iis agunt, quam, ut eas unguentis fucoque tingant, crines in ordinem disponant, oculos ad decipiendum informent, tantosque in uestimentorum generibus et uariationibus sumptus faciunt, quibus soluendis non raro ipsi parentes impares sunt. Eleganter autem Seneca, dum quis fuit luxu, ait, semper insolita appetit, plura, quam fas, petit.

*Tunc illa magnae dira fortunae omnes  
Subit lubido, non placent suetae dapes,  
Non tecta sani moris, aut uilis cibus.*

Obseruare sane licet, infimae fortis hominum filias, uix e sinu matrum egressas, uix a lacte depulsas, pretiosis uestibus, serico auroque contextis,

tis, et ex Gallis, imisque Indiae terminis, allatis, uel ipsas incedere, uel e manibus utriusque sustentium pendere, crines, longius fluentes, purpureis aureisque ex ligulis, conspicuo elegantique nodo, deuinctos, habere, gemmis praeterea, lapidibus pretiosissimis, coruscare, ut stellas crederes maiorum superficierum, utque, si parentes illarum ignores, non eas opificis cuiusdam, aut ciuis, sed uiri principis, filias, sponsas regum, etc., esse, existimes. *Quis eorum, ut eleganter Quintilianus ait, non concupiscet adultus, cum in purpuris repat?* Hinc maritos eiusmodi uxores totas corrumpunt, ut postea summis miseris, propter maritae superbiam, aeuum ii traducant, et, aere alieno oppressi, tandem moriantur infelices, qui, si uxor probe educata fuisset, felicissimorum coniugum exempla sistere potuissent. Denique, natiua earum uirtus, probitas, parentum cura et educatio, plane nulla erit et deperdita, si parentum, uel maiorum, quibuscum uiuunt, uita et exemplum non conspiret. Non ne in perditis ac desperatis rebus habendi sunt ii, qui sua uitia possint maiorum et parentum suorum exemplo et autoritate defendere? At non contingat mihi talis! Malo aliquam, quae nil olet, quae terram, quam crocum, sapit, pudorem, modestiam, integritatem, quam aurum gerit et sericum, morum, quam insignem corporis et faciei, pulchritudinem habet. Tale ingenium Lucretiae Gherardescae fuit apud Erythraeum, Pinacoth. III, n. LXVII. *Erat enim*

*in ea insignis quaedam probitas ac modestia, quae saepe uirtus abest ab iis, qui genere nobili nati sunt, plurimum, quibus commune illud nobilitatis uitium est, contemptor nimium animus et superbia. Eam enim ab aliarum mulierum similitudine, tum natura, tum uirtus, abstraxerat. Non illa famulis superbe ac crudeliter imperare, non uiri sui studiis aduersari, non eum, priusquam galli cantent, a somno excitatum, rogare, ut sibi aurum, gemmas ac uestes, coemeret, quod, bono ingenio se esse ornatam, mallet, quam auro multo, non illa, quae rem familiarem, indiligenter tutando, perditum iret, sed, quae conseruaret, non multiloqua oblatatrix, sumptuosa, sed, quae pauca loqueretur, quae humaniter cum suis ageret, quae uiro obsequeretur, quae non maiores faceret sumptus, quam res ipsorum perpeti posset, denique, quae non anxie, non turbate, sed ita placide, totam domum administraret, ut uix intelligeres, id agere, cum ageret tamen. Eiusmodi filiolum tibi e ciuitate tua selige, non quidem, ut quicquam praescribere tibi uideamur, sed, ut de iudicio unius, quantum est, hominum amicissimi, constare tibi penitus possit. Eiusmodi, inquam, tibi selige, quae, iuxta Heinsium, ante nuptias, in matris gremio, non multis nota (sunt enim saepe honestissimae uirgines, quibus nil potest obiici, nisi, quod plusculos in aedes, aliquos in animum, admittant, quod fit crebra consuetudine, in quibus nil tam timendum, quam, quod sunt ingeniosae, quas plerique*

G

que

que accedunt, non, ut ament, sed, ut se oblectent) honestissime educata est, postquam autem in amplexus uiri, bono cum parentum omine, transit, rem, quem ad modum oportet, domesticam tuetur, domi saepius, quam alibi, conspicitur (frons enim domini, quam occipitium familiae, plus prodest) marito morem gerit, et, quousque satis est, pudica, etiam delectat, liberos cum cura educat, ancillis imperat, culinae praeest, in mensa autem uultum ante omnia lubentem prae se fert ac serenum, tum uero ferula, quae mundities commendat potius, quam apparatus, cum iudicio apponit, si quid minus uerecundum (nam his moribus nunc uiuitur) ab hospite effertur, aure neque prona id excipit, et facilius plerunque erubescit, quam respondet. De ingenio et hilaritate ista, gratiam illi lubenter faciam, et hanc laudem huic homini serua- bo, illi autem obsequendi gloriam relinquam. *Vxor*, ait Lipsius, Cent. II, Epist. XXII, ad Belgas, est, quae curas tuas diuidit, et partem ad se trahit. Illa familiam et rem familiarem tractat. Illa, parcere et reponere, suadet, natura ita facta. Pulchre hoc Xenophon, quoniam hunc sexum, inquit, custodiae et diligentiae Deus assignauerat, idcirco timidiorem reddidit, quam uirilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Iam, in aegritudine aliqua tua, quis fidelius aut sollicitius assidet, curat, in senectute aut imbecillitate, mollius fouet? Quae omnia uera sunt, si amor, si concordia, adsunt, assiduae

*fiduae comites, nisi uitio aliquo partium pellantur.* Conf. quae habet, Coel. Rhodiginus, Antiqu. lect. XV, 19. et Baduellus. Gaillus, ICTus, uotum suum his uersiculis complectitur.

*Si qua mihi contingat uirgo, nubilis esto,  
 Non mendica nimis, non opulenta nimis.  
 Par opibus generique meo, par religioni,  
 Non ea pulchra nimis, non ea foeda nimis.  
 Sed medios habeat laudati corporis artus,  
 Non ea parua nimis, non ea longa nimis.  
 Coniugis ut seruet nullis irrifa, decorem,  
 Non ea crassa nimis, non ea macra nimis.  
 Vestibus incedat mundis, et semper honeste,  
 Non ea compta nimis, non ea spreta nimis.  
 Expectet patiens et feri debita lecti,  
 Non lasciuia nimis, non pudibunda nimis.*

Explicarat, iam ante Gaillum, mentem suam Cornelius Gallus, nitidissimus poeta, eodem fere modo.

*Horrebam tenues, horrebam corpore pingues,  
 Nec mihi grata breuis, nec mihi longa fuit.  
 Cum media tantum dilexi ludere forma.  
 Maior enim mediis gratia rebus inest.  
 Quaerebam gracilem, sed non, qua macra fuisset.  
 Carnis ad officium carnea membra placent.  
 Sic, quod in amplexu delectat stringere, corpus,  
 Ne laedant pressum quaelibet ossa latus.  
 Candida contempsi, nisi, quae, suffusa rubore,  
 Vernarent propriis ora serena rosis.  
 Aurea caesaries, demissaque lactea ceruix,  
 Vultibus ingenuis uisa sedere magis.*

*Nigra supercilia , et frons libera , lumine  
nigra ,*

*Vrebant animum saepe notata meum.*

*Flammea dilexi modicumque tumentia labra ,*

*Quae mihi gustanti basia plena darent. etc.*

Potissimum autem cura , ut taciturnam inuenias , non stupidam. Prudens sit et taciturna , quam formare curarum tuarum adiutricem queas , ne , quod Fabio Maximo euenisse , refert Tacitus , L. V Annal. , ad quem locum Lipsius legi meretur , garrulitate uxoris periculum , uel plane mortem , tibi afferas. Quis enim dixerit , naturam maligne cum muliebribus ingenius egisse , et uirtutes illarum in arctum retraxisse ? Par illis , crede mihi , uigor , par ad honesta facultas est , laborem doloremque ex aequo , si consueuere , patiuntur. Lege Annae Mariae a Schurmann , uirginis , Dissertat. , de Ingenii Muliebris ad meliores literas aptitudine , cui accesserunt uariae epistolae , de eodem argumento , Lugd. Batau. Elz. A. clō Is CXXI. Illa est , ait Lipsius , Cent. II , ad Belg. Epist. XXII , in cuius sinum tristitia liceat deponere , illa , cui tuto fidere pecuniam , domum , liberos , excipio arcana , si quis rep. tractat. Etsi in rep. uideo fuisse honestarum coniugum etiam partes. Liuia Augustum suum saepe temperauit , et modeste atque opportune instruxit. Angebatur ille et insonnes noctes degebat , deprehensa coniuratione in se L. Cinnae. Sensit , et blande exquisiuit Liuia , Et potes , inquit , feminam audire ? Omitte consilia de  
puni-



*puniendo, cogita de ignoscendo. Vindicta et se-  
ueritas quod hactenus non dederunt, uide, an be-  
nignitas et clementia dabunt. Paruit Augustus,  
ignouit, et in posterum liber ab insidiis uixit.*  
Hinc, ut uerum fatear, ubicunque feminam  
audio, uel uideo, prudentem et circumspectio-  
rem, magis me debilem hanc natura creatu-  
ram admirari, quam, si uirum, ab eadem ad sum-  
ma rerum profectum, uideam, magis me quo-  
que eandem uenerari. Talis enim, quae im-  
possibilia uidentur, facillime praestat. Siue ma-  
ritus austerus fuerit et morosus, uel affabilis et  
mitis, perinde ipsi est, nec ullam iurgiorum que-  
relam a uicinis audies. Prudenter eum domat  
et suauiter alloquio. Si in uitia inclinatus, ea sola  
medicinam administrat, hoc remedio ipsummet  
curat, ut in prioribus contrarias iam uirtutes  
ruat, et tantum harum splendore corruscet,  
quantum olim uitii foedior fuerat. Illa et  
splendido, si opus fuerit, et honoris praetextus  
efflagitauerit, more et laute uiuere didicit, sed  
ita tamen, ut ne limites transcendat, neque mi-  
nus parum etiam consumere callet, si angustias  
crumenae mariti suspicatur. Interea medio haec  
semper tutissima ire solet, et tantopere omnia  
abscondit, ut de praecipuarum domesticarum cu-  
rarum in uulgus eat. Haec imperium in mari-  
tum affectabit nunquam, solum id suum esse,  
ut pareat, se scire, effectu comprobatur. Mariti  
honorem, dignitatem, formam, fortunam, su-  
um interpretabitur honorem, et famam, et fortu-  
nam,

nam, quo stimulo (sunt enim ambitiosae ple-  
raeque et hae potissimum) nil agunt, cuius  
pudere maritum queat, in id tantum intentae,  
ut ab omnibus in earum numerum adoptentur,  
quae prae reliquis eminere uirtutibus dicatur.  
Si maritus petenti uxori aliquid denegauerit,  
non grunnet, aut ora Sigalioni premenda  
committet, sed, uersuta, affectus suos modera-  
bitur, et aequae serena fronte, aequae blando  
sermone, rem tecum aget, ac, si concesseris. Si,  
quid minus uerecundum dixeris, aut, quod  
feminam minus deceat, nil praeter ignorantiam,  
licet simulatam quandoque, praeter simplicita-  
tem quandam, in ea laudabis, uel nil, aut mi-  
nus bene, se dicta percepisse, respondebit. Ru-  
bor potius ille, si ita loqui licet, pudoris, pri-  
mitus custoditi, fidei iussor, indice quoque! fae-  
pius uultu, prorumpet, et alia cernes, quae et  
integritatem animi indicant, et prudentiam e-  
ius pariter fatentur, uerbo, te ab omni parte  
beatum esse, senties, si bene educatam pruden-  
temque habueris tori consortem! At malint  
alii, cum Balsacio, ut est apud Vokerodt, in In-  
troduc. in Soc. Lit. Sect. II, c. II, et, cui for-  
te Xantippe quaedam contigit, habere uxorem  
barba munitam, de quo prouerbio Zeilerus, in  
Epist. XVI, Cent. I, p. XXCVI, refert. *Die  
Spanier sagen, Einen Rothhaar und ein baertiges  
Weib grusse von fern, das ist, wie es die Fran-  
zosen erkläeren, auf uier Meil VVegs vveit, und  
auf den Nothfall mit uier Steinen in der Hand,*  
quam

quam eruditione ornatam. Nobis non ita. Summam enim delectationem esse, putamus, si uxor literis humanioribus, uel linguis quibusdam peregrinis, saltem leuiter imbuta sit, quae meditationes mariti, libros euoluendo, illustrare, et proprio instinctu eius lucubrationes adiuuare, potest, quae, si quando ex foro, uel amicis, ad se redeat, quicquid alibi uel audiuit, uel uidit, in chartis festiuissime describat, et dexteritate summa mores ineptorum, et, qui literas oderunt, depingat. Sunt enim inter feminas, quae, ingenii fertilitate, uirtutum sublimitate, animi praestantia et dignitate, sexum anteueniunt, quae ea penetrant, quae uulgares uirorum quorundam animae non facile aggredi audent. Crederes saepenumero, naturam omnes uires, in his, ceu in consummatissimis speciminibus suae potentiae edendis, impendisse. Legi meretur earum catalogus apud Tiracquellum multiscium, de Nobilitate, c. 31, n. 3, 21, sq., Hilarionem, Les Eloges et uies de Reines, Princesses, Dames et Demoiselles, illustres en pieté, courage et doctrine. Parisiis, Anno c10 10c XXX, Paschium in Gynaeeo docto, Thomaf. in Diss., de Eruditione Feminarum, Iunkerum, in Centur. Femin., eruditione et scriptis illustrium, Ludou. Iacobum a S. Carolo, in Bibliotheca Feminarum, de quo Morhofius, in Polyhist., Tom. I, c. XVII, Aegid. Menagium, in Historia Mulierum Philosopharum, Lugd. A. c10 10c XC, recensione facta in Actis Erudit.

Lipsiens. c10 10c xci, p. 10 XXXV, B. Fregosum, de Feminis, quae doctrina excelluerunt, teste Ghilino, P. Theatr. p. XCVI, Iul. Caesar. Capacium, in Elogiis illustrium Neapol. Mulierum, A. c10 10c IIX, Otth. Sperlingium, d. q. Morhofius et passim Vitarum scriptores. Conferatur etiam Deuzeus, in Merc. Polit. A. c10 10c LXXXVII, May, p. CCL, et Iun. p. CCXVII, de Academia, a uirginibus instituta, ut et de alia secta, A. c10 10c xxci, p. XVII, sq. Quibus omnibus Patinianas utrasque, et Graeuian, Ultraiectensem, annumeramus, dignumque tantarum uirginum laudibus decantandis optamus praeconem. Triiceps enim sane eruditionis et historiae, tam priscorum, quam modernorum, temporum monstrum esse omnibus uidetur. Non, quod non plures adhuc lateant ubiuis fere eorum feminae, quarum merita et uirtutes laudes mereantur amplissimas, sed, quod nobis haec tantum recensendae essent, quae reliquis, quantum innotuit, palmam praeripere uiderentur, et quarum nectar nobis olim delibandi copiam concesserit benignius fatum. Ruyschiana uero, illustris Friderici Ruyschii, filia, parentem in anatomicis botanicisque laboribus, hoc est, in herbarum exiccatione, et uiscerum praeparatione, adiuuare, hinc ea balsamicis uernicibus obducere, ut, ueras Mumias earum praeparata esse, crederes, solet. Praeterea notanda quae uis accurate penicillo annotat. Vidi rarissimos quarundam herbarum flores, tam affabre ab ipsa depictas, ut ipsum profecto Appellem penicillo

cillo prouocare mihi uisa fuerit. Alias annumerarem, praesertim e Batauis, quae mira Florae suauitate allectae, tantam in Botamicis habent cognitionem, ut ad stuporem paene te rapiant. Sed institutum nostrum, tam longam excursionem, non fert. Quanta uero haec, T. O., est uoluptas, quanta animi satietas, habere secum in lecto, in contubernio, in deambulationibus, excursorem Botanicum, chymicum adiutorem, curiosum discipulum, informatorem quandoque non inuidum, ceterum autem et prudentia, et pietate, omnibus conspicuam uxorem? Adhortor saltem te, suauissime Tiro, ut, si quondam talis tibi contingat uxor, nimiis eam meditationibus et laboribus non obruas, ne in infelix lolium tandem degeneret, et, quae admiranda nuper uidebantur eruditus, nunc aniles fabulae habeantur. Eos huic uxori labores permitterem, quae speciem eruditionis prae se ferrent, reuera tamen de manualibus operationibus participarent, u. g., construendi herbaria uiua, destillatorium ignem dirigendi, etc. Si lectionem et euolutionem ei indulgerem, materias discernere, ut, ne nimis seriis et speculatiuis quaestionibus uegetum, sed debile infirmumque, turbarem ingenium. Hac autem ratione et uxori consulerem, et mihi. Deinde, uel interprandendum, uel in otio, haberem, de quo cum illa loqui possem. Qua ratione et mihi, et illi, facerem satis. Illi lectione et recensione, quippe nulla creatura magis se audire discipit, quam femina. Mihi autem, unius semihorulae spatio,

totam auctoris opinionem in breui idea, et cum  
 suauissima dulcedine, cui alias multae dies im-  
 pendendae essent, comparando. Praeterea sem-  
 per aliquid in promptu habere una curarem,  
 quod illam ab interiori rerum disquisitione et  
 subtiliori iudicii exercitatione auocaret, uel bre-  
 uius, prudenti regimine sexus aestum tempera-  
 rem. Quarto, si me, si te, si uitam, si existima-  
 tionem, tuam amas, Tiro optime, non aliam  
 duc, quam, quae pretium amoris tuo ponat. Vi-  
 tam odisse ii mihi uidentur, qui eas feminas,  
 quae, naturali quadam animi ui et contrarietate,  
 procos auerfantur, ambiunt tamen, et tam an-  
 xie, ut, ubi pecuniae, astus, uis denique, non suffici-  
 unt, quae ad amorem mutuum (ad fictum, crede mi-  
 hi, et fucatum,) eas adigant, ad desperatissima non  
 raro, et, paene dixerim diabolica, refugiant remedia.  
 Fallunt hi, et falluntur, temerarii, qui prudentiae  
 suae in feminae, quae aliena mente est, animam,  
 tantum tribuunt, ut familiari consuetudine sibi  
 unionem, coniunctionem, et uerum amorem, e-  
 ius promittant. Paucissimis haec contingit. Reli-  
 qui temeritatis suae poenas, per totum saepe uitae  
 tempus, corpore et animo luunt. Dende et, liceat  
 mihi medice de re medica tecum agere, id ideo po-  
 tissimum a te expeto, ut eo facilius sis in liberis bona  
 indole procreandis. Nisi enim illa te, nisi tu illam,  
 anxie et, ut decet, coniuges, uos inuicem amaueritis,  
 nil boni in sobolis procreatione efficietis, quin poti-  
 us mores peruersos, nequiores animum, in ipso  
 conceptionis actu liberorum uestrorum rudimen-

tis

tis, uosmet ipsi iniicietis. Vnius siquidem coniugis animus, optime compositus desiderio legem naturalem implendi flagrabit, alterius contra perturbatus, anxius, quietus, taedia erga coniugem fouens, omnes respuet blanditias coniugis, omnes naturae stimulos, plusquam Stoica, contemnet continentia, quod si tandem propria uoluntate cogatur uincaturque, mira ex hac animorum disparitate emergit spirituum, sine qua nulla contingit conceptio, modificatio, ita, ut, hic confuse, illic ex naturae regulis, hic tardius debiliusue, illic impetuosius, copiosius, uerbo, in utroque diuersimode, influant, et ad generationem noui hominis concurrant, primaque affectuum, morum, indolis, stamina, innocentissimi foetus rudimentis, uel ui, uel petulantia, uel imprudentia sua, parentes imprimant. Ex eodem fundamento dependere uidetur ratio uulgarissimi illius dicerii, quo dicitur, grauissimos et spectatae sapientiae coniuges, stupidissimorum saepe liberorum esse parentes, contra, nequissimum hominum genus, et, belluarum more, ad explendam corporalem lacunam illegitime festinans, felicissimorum ingeniorum existere autores. Viri enim prudentes, et grauibus negotiis sapientiaeque dediti, nunquam otiosi sunt. Hinc, cum hic actus ab omni labore, ab omni alia cogitatione, liberum cupiat animum, unice ad explendam amicabilem naturae legem intentum, animo aliorum reflexo, spirituum motus et influxus naturae leges transgreditur, et, pro curarum, pro nego-

negotiorum, diuersitate, turbate concurrunt ad generationem prolis. Contra, ex illegitimo toro prognati, excellentissimis ingenii dotibus emiment. Pater enim aequae, ac mater, deperdito se inuicem amore amplectuntur, mox utraque pars, occasione oblata benigna, in diu auidissime concupitos, aut primum oblatos amplexus ruunt, ob summum ardentissimumque utriusque amorem, animo prorsus ab aliis cogitationibus expurgato, sufficienter et aequali spirituum motu femina eiaculant, spiritibus, intimiorum animarum complexuum ideis refertissimis, utrinque turgidissima, adeo, ut actiua maxime, et, ad recipiendam uiuacissimi motus essentiam, aptissima et efficacissima, constituentur prima foetus et animi in foetu rudimenta. Postea, si, quae ex mutuo parentum amore in tale corpus descenderit efficacissima, educatione non infelix reddatur, animula, admirandas (instrumenta omnia ad intelligendum et agendum aptissima) reperiens, et non nunquam diuinas exerat actiones. Plura, per festinationem operis, et temporis penuriam, scribere non licet, adeas interim Pont. Heuterum, de Liber. homin. Natiuit. XVII, sq., p. LXXIIX, seq., et Palatii Aquilam inter lilia IIX, p. CCXCIX, seqq., Huartum in Scrutinio Ingeniorum, p. L., Imperialem n̄ fallor, in Museo Physico. Quod si haec omnia bene se habeant, esset nihilo minus aliquis, qui, ob numerosam dotem, uel opes, bene educatam et prudentem alicuius accusaret criminis, facile ei id per me liceret, ego autem feminae

minae



minae hoc eo facilius condonarem, non, quod nescius forte sim illius Aufonii, in Monasyllab. Edylli XVI, Senecae, Declam. VI, qui diuitiis affluentem seruitutem eo magis exigere, dicunt, uel Petrarcham, qui, de Rem. utr. Fort. II, Dial. XLII, ait, Feminae proprium est superbia, quod si dos accesserit fiet multo imperiosior, et uiro inequitare conabitur. Neque ea cum sciam, temerarius et audaculus dicier mereor, sed, quod ea omnia de minus prudentibus feminis dicta ab autoribus fuisse, coniciam. Si enim in adipiscenda coniuge egena minus prudenti, minus bene educata, fueris infelix, nae, omnia ista incommoda, omnes miseriae istas triplicatas et quadruplicatas senties. Neque enim superbia se ab alia uinci patietur, neque ulla imperium magis in te affectet aut importunius exercebit. Ut ea propter expetendam potius tibi aliquando esse feminam, praeter superius recensita, luculenta dote instructam, quam, ut, propter eandem reiciendam, suaderem diuinam quandam animulam. Posteaquam enim omnes saepe opes, studiorum gratia, effuderis, patrem familias agis, si de nouo rei domesticae et priuato emolumento prospicias. Deinde ipse Deus uoluit mulierem nasci in adiutorium uiri, qua autem ratione literati uxor maritum iuuare potest? plebeiorum, rusticorum et opificum, quidem uxores manuum suarum opera suum conferunt ad alimoniam et rei familiaris emolumentum, literati ergo soli sudare et laborare debent, ut alant uxores, et,

pre-

propter eas, tot ancillas, uel ideo, ut habeant, quod consumant, quaedam, quod dilapident. Aliud uoluit autor matrimonii, aliud ipse Imperator, VII, pr. A., de Iur. Dat. L. XX, C. eod. Leuamen maritus, literatus potissimum, habere debet, ut, dote data, recompensentur ipsi matrimonii molestiae. *Ad haec quoque, liceat mihi cum Heinio loqui, cum splendorem suum Diua contulit Moneta, cetera aut confirmat, aut non mediocriter illustrat, quam et comparare, ut oportet, et conferre, qua oportet, materia uirtutis est. Ex eodem enim diues fuit Craesus, liberalis Cimo, qui turmatim pauperes ad se uocabat, quos mox, bene ac prolixo habitos, ad suos dimittebat. In egentes quoque, si quos norat, conferebat stipem. Qua uirtute nihil dignius est homine, ut quae nomen accipit ab eo. Eadem enim et humanitas nonnunquam dicitur. Ut de magnanimitate nihil dicam, quae cum omnium uirtutum sit regina, sine opibus se tueri uix potest. Cetera uiuendi quoque officia omitto, quae sine iis uix describi a philosophis possunt, tantum abest, ut ab actionibus nonnullis queat separari. Quare, qui tantopere Aristotelem contemnant, quod non nihil ad felicitatem momenti esse in iis censet, Stoicarum autem nimiam seueritatem extollunt quotidie ac commendant, et sine iis tamen frui istis, quae exoptant maxime, non posse se fatentur, idem mihi facere uidentur, quod choragium in scena qui tollunt, cum libenter in theatro sedcant. Nam, si in contentionem cum uirtute ueniant aut mori-*

bus, cedant sane, si praesertim ea sit felicitas ma-  
 riti, ut uirtutem coniugis ac mores sua sibi dote  
 sustinere possit, quos plerique laudant, pauci imi-  
 tantur. Nec iam dico, quam sit homine festiuo  
 dignum, ad id, quod per te lubenter facias, hoc est,  
 ad complexus quoque et oscula, dote, quasi stipen-  
 dio adduci, ne uel gratis, scilicet, sis felix, quo auto-  
 ramento nullum minus est molestum. Postremo ipsa  
 quoque Venus cum culina feruet pariter, ac friget.  
 Reliqua cuncta minus curo. Neque enim formam,  
 quae, si omnibus simulacris emendatior sit, omnes  
 omnibus surripere Veneres dicitur, tantopere con-  
 sidero. Quamuis Socrates priuilegium naturae, alii  
 mutuam commendationem, eam dixerint. Eam in  
 eo quaerunt formarum spectatores, ut frons non sit  
 nimius. Stupidum enim hoc arguit ingenium, sed  
 tenuis et paululum tamen quibusdam latior ex-  
 porrecta, quaeque radices capillorum retro flec-  
 tit, supercilia usque ad malarum stricturam cur-  
 rentia, et rursus confinio luminum parce permi-  
 xta, oculi splendore astrorum, (nunc caerulei,  
 nunc nigri,) clariores, nitide, ut Luna quaedam,  
 fulgentes, et fulmina subinde torquentes, nares  
 fursum leniter inflexae, a Socraticis tamen paeni-  
 tus recedentes, osculum, aut quale Venus blan-  
 diebatur Adoniti, quale Praxiteles habere Dia-  
 nam credidit, angustum, rubente utrinque label-  
 lorum purpura cinctum, ex qua dentium can-  
 dor tamen paululum emicet, mentum rotun-  
 diusculum, medietate sua foueolam legens. La-  
 stea membrorum quorumuis series, uenusta,  
 uesca

uesca, mollis, non exhausti succi et ita inuicem conuenientia inter se, ut, matheseos quasi legibus in ea condenda naturam usam fuisse, crederes. Praeterea candor (et quem rubor uirginalis, genarum ille Titianus, pictor, illustret potius, quam pingat) ipsum Parium marmor extinguis, ita ut ceterarum omnium pulchritudinem facile castigare posset, et sic porro. Eiusmodi formam descriptam legimus in Euphrom. Barclaii P. V, p. CCCCXXXIII. *Ilium ex negotio petebam, forte Pactoli, fluminis, in ripa Ilienses mulieres Iunoni sacrificaturae exierant muris, omnes, si non deae, credi tamen poterant, et forsitan inter tot calentes formosarum feminarum sinus, melius quam in Cypridis gremio, nondum satis desletus Assiriis Adonis latuisset. Cunctis eximium pulchritudinis aureae decus, amantius tamen in una nitebat. Vtpote cuius genis nix inbaerens purpureo madefacta sanguine, extingueret rosarum et liliorum natiuos colores. Collectam frontis modestiam duplici semi circulo, instar crescentis Lunae, acquabili meditullio supercilia nigra cingebant, radiata lumina imminebant naso et ueluti, e uallo in aggeres, ineuitabile amoris telum, uel et innocentem spectatorem, sine delectu, torquebant. Iam crines ad captiuitatem flexi, quot orbibus uibrantur ad gratiam, totidem laqueis hominum libertati insidias fecerant, et ipse purpureus in labiis calor, uidebatur humani cruoris continuo potu in tantum ruborem uenisse. Ceruix alba,*  
et

et, sine gemmarum fulgore satis suis deliciis fe-  
rox, infra gemini folles, cupidinem undiquaque  
spirantes, incentiuo, et ad prurimum etiam frigi-  
dos inuitante, motu, sororiantes pulsabant papilla-  
las, et a suo subsultu lumborum leuitatem indica-  
bant amatoribus etc. Non hanc, inquam, tot  
hominum cohortes inhiant.

*Saepe etenim occulit picta se se hydra sub herba,  
Et niuea irrepfit furialis lilia uermis,  
Quin animus nequam, atque occulto crimine  
plenus,*

*Sub specie formae, incauto se saepe marito  
Vendidit, et misero tulit inuida iurgia lecto.*

Vnde Olympias, Alexandri M. mater, aulicum  
quendam, quod, solius ratione formae ductus,  
uxorem elegerat, obiurgauit, O, *stulte*, inquit,  
*qui solis oculis duxisti uxorem. Fastus*, inquit  
poeta, *inest pulchris, sequiturque superbia formam.*  
Praeterea pulchritudo feminis alienorum cupi-  
ditatem, uicinorum suspiciones, potentiorum  
uim, inferiorum inuidiam, parentum infamiam,  
et marito periculum, attrahit. Nam, etiamsi pu-  
dica satis sit, semper habet, quod excuset, aut  
metuat, suspicionis causas publice secum circum-  
fert. Prodiens enim, omnium oculos in se conuer-  
tit. Difficilis autem est, eius rei, quam multi  
expetunt, custodia. Blanditiae, nummi, astus, ge-  
nius, uis, quandoque irruit et furem agit. Le-  
ge elegantissimum discursum nitidissimumque  
carmen Barclaii, in Euphorm. V, p. m. l. XXXV,

et quae sunt alia, quae cuncta referre, mora est. Quibus addo aliud medicum arcanum, quod, in florido corpore et succi pleno, multa quoque copia luxuriat spirituum, flos sanguinis abundat, unde pruritus acer, et facilis in Venerem lasciuia, facilis in delicias uita, consequitur. Verbo, quisquis pulchram uxorem ducit, is uariis se praeparet infortuniis, oportet. Famam enim hastae, et uitam periculo, subiicit. Confer, quae Ouidius, L.XIII. Metamorph., Fab. XIIX, de Galateae eiusque formae bonitate et malitia canit, u. 10 CCXC, sq. Neque deinde *ingenii uersutes*, aut *doctrinae abyssus*, me mouebit. In quonam enim ea gratia consistit? Ouidium forte, de Arte amandi, Catulli, Tibulli, Propertii, Martialis aliorumque, epigrammata, fabulas denique poetarum, amatorias plerunque, memoria recitat, uenuste applicat, schachiam ludit, et aleam ex artis legibus dirigit, conuiuolum lepore suo condit, uoces liberiusculas prima excipit, prima intelligit, prima, uoce, gestibus, oculis, retorquet, nictit, argutatur, annuit, et sic porro. Osculis te amplexatur ipissius, colloquio autem oculorum pectora ingeniose inflammat, denique quibusdam petulantibus motibus corpus penitus comburit, et ingenio suo praestat, *ut nequitiae illius sexus noster non sufficiat*. An autem, horum omnium, ab ingenio et doctrina oriundorum, quicquam Graecis meretriculis defuisse, putas? Minime, harum potius plerasque literis humanioribus et mathematicis disciplinis instru-

ctas

ctas fuisse, constat ex Athenaeo, teste Menagio, in Hist. Mulierum Philosoph., p. LXVI, et Erasmo Roterodamo, in Colloquio, cui titulus, Abbatissae cum erudita. Caue ergo, ne, quod tu ingenium dicis et doctrinam, alius procacitatem et proteruitatem uocet. Praeterea *femina*, ait Heinsius noster, *quae opibus, fama, ingenio, pollent, se superiores omnino esse, arbitrantur. Hinc imperium affectant in familia, sicut in republica ciues, aliis ingeniosiores. Ideo mediocres tantum in republica laudantur. Nam, nec causam dant seditioni, uel ab urbe eam facile auertunt.* Et, o, quam hodie multae sunt, quae, cum Aegyptiorum uxoribus, subiectos sibi uolunt maritos et obediens, de quo pr. Diod. Sicul., Bibl. Hist. I, 27, Rupert. ad Flor. II, 5, p. CCC. XXXII. Mala enim omnino merx mulier est, apud Erythraeum, Pin. I, p. XXV. Non enim potest ita arcte subiecta custodiis omnibus haberi, quin custodibus uerba det, atque ad hostes tuto transfugiat. Lege ibi memoratu dignam historiam. Minus adhuc generis et *familiae dignitas*, et spes per illam emergendi, plumas mihi erigere poterit. Lubrica haec uia est et pluribus periculosa, multis autem interitum minata est. Semper eam feminae aestimant nobilitatem familiae suae, ut, quae sexus est putiditas, liceat eam mihi ita uocare, semper, cum taedio uirorum, auos suos, et atauos proauosque, narrent et loquantur? Et, licet aliquid agnati contribuant affinesque ad tua emolumenta, in  
H 2
erit,

erit, quod frequentius audies, ac illud, te ex  
 fui et suorum autoritate, et commendatione, ad  
 hanc uel illam dignitatem peruenisse, quasi mu-  
 lier una in nocte eam capacitatem, contagio fa-  
 miliae suae quodam uirum inficere posset, qua  
 dignus esset, ad munus capeffendum. Sed, o,  
 miseri, uestram merito uicem omnes dolent,  
 qui omnem operam, omnes sumptus impendi-  
 stis ad id, ut supra uulgus saperetis, sed, for-  
 tuna non annuente statim, eam tali coniuge  
 nobili quaesiuistis, quae, sicut occasio merita et  
 uires ingenii uestri remunerandi, quae alias for-  
 te deesse adhuc uobis potuisset, extitit, ita  
 simul multarum miseriarum existit causa. Qui-  
 bus sanior mens est, neque summo necessita-  
 tis casu, qui omnes hoc loco excusare mihi  
 uidetur, cogitur, fatius esse ducit, meritis et  
 sua ui animi, quam uxoris fucata dignitate,  
 emergere, eum solum patronum, praeter sum-  
 mum poli solique arbitrum, aestimans, quam  
 cerebrum, illa animae sedes, et marsupium  
 neruorum rerumque omnium nutrimentum,  
 uulgus dicit. Ad coniugem tamen, quae prudentia  
 quadam, prout supra cuius, qui animum,  
 uitam solitariam aliquando tandem deferendi,  
 mutare uelit, optauimus, eminent, haec mini-  
 me pertinent. Tandem, si quid salis in te est,  
 aut puellam, qualem tibi coniugem esse, ipsemet  
 uoluisti, ama sincero affectu, aut constanti ani-  
 mo, ad exemplum aliorum, non dicam mei ipsi-  
 us quoque, pro uxore, sapientiam, medicinam,

libros



libros, meditationes, semel amplectere. Cum enim Deus infirmiori huic sexui durissima quaevis proposuerit, adeo, ut hanc ipsam, si quam è mariti complexu, re tam casta, tam honesta, uoluptatem petit, grauissimis redimere doloribus, tanquam debito naturae, sit obstricta, quid tam aequum est, quam, in comitate uiri ac lubentia aliquantulum solatii inuenire mulierculam? Animal, ut imbecille et blandum, ita, nisi, quatenus mariti amor intercedit, prope ad calamitatem natum. *Cum praesertim, ut Heinssii uerbis sententiam meam explicem, huic rei ignauissima corporis humani pars uitae nostrae, nox, sit destinata, ne cuiquam, scilicet, discedat, quod uxorculae impenditur. Quare, apage istos, qui ad lectum, tanquam ad tribunal publicum accedunt, qui eodem uultu coniugi se sistunt, quo sententias pronuntiant. Adde eos, qui, morose nimium ac pertinaciter addicti Musis, in suauissimo atque omnium particeps, corpusculo, librorum moles, ex inepta consuetudine, deponunt. Nam et istos noui, uere umbratica ingenia, quibus nimia in literis intentio ac cura usum pariter uiuendi adimit, ac fructum. Iam non nulli sunt, qui, satis esse, existimant, si uirum egerint, cum plus sit, agere maritum. Quod in reliqua non tantum uita, sed et in ista quoque parte, latius diffunditur. Itaque, ubi, tanquam necessarium tributum, ius uxori praestiterunt, iterum de libris cogitant, cum benignitate potius totius uitae ac iucunda consuetudine, quam indicta, aut praescripta ad*

arbitrium, naturae uoluptate, matrimonium alatur, quae in belluis coacta, in hominibus a ratione, quasi condimenta quaedam, delicatas accipit blanditias, a quibus ipsa superatur. Denique uero, de miseris cogitare, desine. De honoribus nunc demum, quos, ex necessitate matrimonium ineundi, inde nunc sentis, cogitare incipe, quos addere, Boselius, ni crambem recoquere uelimus, prohibet. Fuscus enim id egit, in Amaltheo Medico Politico Appar. II, II. Nos finem dicendorum facimus, id uero ea eleganti admonitione, qua Camillus, et M. Posthumius, apud Valer. Maximum, II, 4, eos, qui, propterea, quod ad senectutem usque coelibes peruenerant, aera, poenae nomine, in aerarium deferebant, increpari, iusserunt. *Natura uobis, quem ad modum nascendi, ita gignendi, legem scribit, parentesque uos alendo nepotum nutriendorum debito, si quis est pudor, alligauerunt. Accedit iis, quod etiam fortuna longam praestandi huiusce muneris aduocationem estis assecuti, cum interim consumpti sint anni uestri, et mariti, et patris, nomine uasui. Ite igitur, et nodosam exoluite stipem, utilem posteritati numerosae!*

Expulendo

*Explendo nacio Eruditam Sponsam sub-  
iungere uisum est.*

ANNA MARIA  
SCHVVENDENDORFIA,

Lipfienfis, Leonardi Schuendendoer-  
feri, Pr. El. Saxon. a confiliis, fca-  
bin. Affeffloris et Confulis ibidem, filia,  
librum confecit fic infcriptum, *An-  
daechtige Gemuths Seufzer*, † A. M. DC.  
LXXIII, ut fponfa. Nobili enim cui-  
dam, a VVolframsdorf, erat despon-  
fata. (a)

CON-

(a) VVittenius, d. l., P. II, p. 106, Ebertus,  
d. l., p. 327, Paulini, d. l., p. 143.

Menda.

P. 8, l. 12, leg. *Arberini*, p. 14, l. 21, del.  
*Histor. et l. 23, leg. Histor. Belli etc.*, p.  
16, l. 6, leg. *Ruppellensis*, primum Angl.  
ecclef. Presbyter, deinde Archiepisc., p.  
91, l. 26, leg. *ut nec quicquam principum  
curarum etc.*, p. 2, l. 5, leg. *dicuntur*.  
Reliqua ipse, B. L., haud grauatim e-  
menda, praesertim in *Eccloga Manitiana*,  
ubi sententiam uiri, cetera non insciri, non  
satis licuit hariolari.

CONSPECTVS  
ERVEDITORVM COELIBVM

---

F. Bassompetreus.  
A. de Bins.  
I. Boccatius.  
I. I. Boiffardus.  
F. Brummerus.  
Christina R.  
A. Clapmarius.  
P. Colomesius.  
A. Curio.  
A. Curionia.  
Dionysius.  
Elisabetha R.  
B. Gozodiana.  
M. Marchina.  
G. Nazianzenus.  
I. Neuizanus.  
I. Nogarole  
M. Pafor.  
I. Radcliffius.  
A. M. Schurmannia.  
S. Schuuartia.  
Vigneria.







H 7040

(x2373669)

ULB Halle 3  
006 810 152



VD 18  
KD-A7-00

mc









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

IRENAEI CARPENTERII  
SUPPLEMENTVM  
AD  
ERVDITOS  
COELIBES

ANNECTITVR  
CASPARIS BARLAEI  
DIALOGVS FESTIVVS  
DE  
PHILOSOPHI VXORE  
SIVE  
AN PHILOSOPHO SIT DVCENDA VXOR  
ET  
D. SEMPRONIVS GRACCHVS  
MASSILIENSIS  
DE  
MATRIMONIO MEDICI



VITTEMBERGAE  
APVD CHR. THEOPH. LVDOVICVM  
A. CIO IO CC XVII